



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Historiæ Societatis Iesv Pars ...

Ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI / Auctore Josepho Juvencio Societatis
ejusdem Sacerdote

Orlandini, Nicola

Romæ, MDCCX

Lib. XVIII. Religio per Societatem Jesu defensa, illustrata, & propagata in
India, ab anno Christi MDXCI. ad MDCXVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98121](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98121)

Indiæ peninsula cis vel intra Gangem dicitur, & ab Imperio Magni Mogolis versus Austrum longe protenditur, finiturque promontorio Comorino, prope Maldivas insulas: alteram, quæ peninsula Indiæ extra Gangem vocatur, & imperium Sinense ac solem orientem spectat. Tres istas partes Asiæ, quæ à nonnullis *India Orientales* appellantur (Americam enim *Indias Occidentales* vocant) hoc Libro XVIII. complectimur: sequentibus vero Libris Imperium Sinense, Japoniam, Philippinas, Molucas, & aliquot alias Asiæ insulas reservabimus.

* Num. 311. & seq. Vide etiam Kirkeri Chinam P. II. c. 5.

De Imperio Magni Mogolis, sive Indiæ septentrionali, dictum est abundè Parte quarta Historiæ Societatis, ad annum MDLXXIX. * ubi vastissimæ regionis situs, mores, & religiones explicatæ sunt. Peninsula Indiæ intra vel cis Gangem terminatur à septentrione Imperio Magni Mogolis; habet ab occasu sinum Indicum, in quem Indus fluvius effunditur; ab oriente, sinum Gangeticum, sive Bengalæ; a meridie, Oceanum Indicum, Maldivas & Ceylanum. Hanc peninsulam ducti à Borea in Austrum altissimi montes secant in partes duas, orientalem & occidentalem. In Orientali numerantur hæc regna, si ab ostio Gangis progrediare versus meridiem, Golcondanum, Bisnagarense sive Narsinganum, Ginghamum, Tanjaorense, & Madurense: ora maritima superior, vulgo dicitur Coromandeliam inferior, Piscaria nominatur. In parte Occidentali circa Indi fluminis ostia occurrit regnum Guzaratæ, sive Cambaiæ; deinde procedendo versus Austrum, regnum Decani, seu Visaporæ, in quo Lusitani Goam condiderunt: tum Canara, Calecutum, Cocinum, Porca, Travancor, Colanum, totidem exigua regna: in apice peninsulæ est promontorium Comorinum. Ora ferme tota vocatur Malabarica. In altera majori Asiæ peninsula, quam appellant Indianam ultra, sive extra Gangem, quatuor præcipua sunt regna secundum oram maritimam, quæ Bengalano seu Gangetico sinu alluitur, Arracanum, Pegnanum, Siamense, & Malacense, cui objacet insula Sumatra. Quatuor alia sunt regna imperio Sinenfi propiora, nempe regnum Laorum, Tunkini, Cambogiæ, & Cocincina. Initium hujus libri ducemus a Mogolis Imperio, sive Indiæ septentrionali.

§. I.
SOCIETAS IN
IMPERIO MOGO-
LIS.

2.
Primi è Societa-
te ad Mogoles
missi.

AKEBARUS Mogolum Imperator, cognoscendæ legis Christianæ cupidus, Patres Societatis Goâ vocaverat anno MDLXXIX. Missi tres sacerdotes, Rodolphus Aquaviva, Antonius Monserratus, & Franciscus Henricus, legem divinam exposuerant, ethnicorumque argumentis ac deliriis Mahometanorum refutatis, eò perduxerant ipsum Imperatorem, ut amplectendæ Fidei potestatem faceret suis, & è filiis unum instituendum Patribus daret. Sed cum nullam profitendæ legis Christianæ voluntatem præ se ferret, Rodolphus ea spe frustratus redeundi Goam facultatem petiit. Hanc vero ita concessit Imperator, ut redire illum primo quoque tempore juberet. Postquam in Salfettide interfectum cognovit, alios in ejus locum Patres arcessivit, missò cum donis ac litteris legato ad Prætorem Lusitanum Sofam-Cotinium, & Goanos Patres. Litteræ in hanc sententiam erant scriptæ. *In nomine Domini. Akehar potentissimus & invictissimus Imperator salutem plurimam Patribus S. Pauli, quos Deus gratia sua dignatur, qui gustarunt donum Spiritus sancti, qui legibus Messia morem gerunt, hominibusque viam salutis optinent. Vos alloquor, Venerandi Patres, qui nuncium seculo remisistis, & honores opesque aspernamini. Religionem, quascumque Orbis terrarum colit, cognoscere studei: nondum tamen Christianam perdidicistis mihi videor. Erudiri de illa plenus velim, operâ Patrum vestrorum, quos amo, & quorum sermone delector. Audivi ex Armenio Grimone, qui meas vobis litteras reddet, esse in vobis viros doctos, qui, si quid errem corrigere; si quid dubitem, explicare possint. Adeste, & pudorem Mahometana legis doctoribus incutite: nec dubitate quin vestras de illis victorias merito plausu prosequar. Quos mittetis mihi præcones divina doctrina, si stabilem in urbe imperii mei primaria ponere sedem volent, domum dabo & privilegia præteritis ampliora: si redire Goam placebit, dimittam cum honore. Datum Labore novâ Lunâ mensis Junii.*

His litteris Goani Patres in spem maximam, & ut narrabatur, certissimam erecti sunt Mogolicæ Missionis felicius, quam antehac, instaurandæ. Imperator unam sibi uxorem legisse dicebatur, ceteris dimissis, aut in matrimonium cum aliquo

aliquo dynasta collocatis. Festam Assumptæ in cœlum Virginis lucem publica, & magnifica pietate coluerat, ejus imagine in folio ad venerationem proposita, cui supplex & humi prostratus, cum liberis & aulicis, honorem habuerat. Quibus rebus cognitis accensa sunt magnopere nostrorum ad præclaram expeditionem studia. Duo ex omni numero delecti sacerdotes Eduardus Leitanus, & Christophorus Vega, cum fratre adiutore, comites legato Lahorem revertenti se adjunxerunt. Excepti, quacumque iter fuit, lautè ac splendide à præfectis urbium & provinciarum, denique ab ipso Imperatore anno MDXCI. in regiam admitti sunt. Actum paulo post de negotio religionis. Akebarus omnia in longum ducere, bonis illos verbis prosequi, polliceri multa, nihil præstare. Hinc maror Patrum, & consilium deferendæ messis, quasi nondum maturæ. Id citius ut facerent suasere proceres aliqui, metuentes ne Imperator, suscepta Fide Christiana, gentis ritus antiquos & sacra convelleret. Affirmabant mentem hanc ejus esse, ut novam fabricaret religionem, cujus ipse conditor caputque diceretur; Christianam legem laudare ac perdiscere, non ut eam aliquando profiteretur, sed ut ex illa quod videretur commodum, decerneret ad coagmentandum novæ, quam moliebatur, superstitionis idolum. Hinc esse illum æque Judæis, Mahometanis, ac reliquis sectis invisum: hinc moveri seditiones passim a populo, quibus primi omnium Patres opprimendi essent. Consularent sibi maturè, neque expectarent dum intestini tumultus, & tacitis adhuc multorum odiis inclusi, erumperent. His terroribus fracti Leitanus & Vega reditum clam adornant; & Akebaro raptim salutato, discedunt.

Conturbatus Imperator tam inopinato discessu; tamen, ut homo sapiens & ingentis animi, qui humanos in religiosis etiam viris nævos ferre posset, aliquanto post eosdem reposcit, aut alios, qui eorum vices generosius impleant. Molestè Roma tulerat præcipitem Patrum ex aula Mogolis discessum: aliosque designari jussit Præpositum Generalis, qui, ut Apostolus monet, opus Dei promoverent in omni patientia & doctrina*. Istas partes demandare placuit Patri Hieronymo Xaverio; qui Magni Xaverii fratre genitus, tanto respondebat nomini, & Goanæ tunc Professorum domui præerat. Dat se in viam alacer, cum P. Emmanuelè Pinierio, & Fratre Benedicto Goe; ac X. Kal. Jan. anni MDXCIV. Cambaiam, Mogolici juris emporium, attigit. Inde, post quintum, quàm Goa profecti erant, mensem, in urbem regiam Lahorem pervenere III. Nonas Maias anno MDXCV. Complexus illos amantissimè Imperator, quasi deposita parumper majestate, familiariter adhibuit: ædes ad habitandum concessit amplissimas; cohortem militum addidit, quæ ipsos contra vim & insidias Mahometanorum custodiret. Præterea locum ædificando templo attribuit: denique potestatem initiandi sacris mysteriis populi fecit: serio professus cum iisdem acturum se de religione, simul ac Persicam, qua tunc aula Mogolis utebatur, linguam utcumque didicissent.

Mirabantur proceres, nec sine tacito livore cernebant, quanto in pretio Patres haberet; ut eos adeuntes, ceteris veluti neglectis, saluaret amico nutu, & Europæo more sedere pateretur: quod honoris præcipui genus neque legatis Principum concedebat; neque adeo regibus, quorum plurimos habebat vestigales, & quos mirum est quam contemptim acciperet. Horum unus V. Kal. Sept. accessit, servitutem & clientelam ut profiteretur. Ubi primum in ingentis aulae limine constitit, sedentem Imperatorem toto corpore prostratus adoravit: idque tertio quoque passu facitans, sensim ad folium prorepsit. Tum stipatores regii corporis hominem excussere, ac scrutati diu multumque sunt, numquid armorum gestaret. Inde progressus Imperatoris pedem extrema tetigit manu. Ille factu barbaro jacentem despectans, dextram cervici ejus imposuit, quo tanquam insigni beneficio & honore affectus regulus erexit se; ac locum in regum ac dynastarum, qui adstabant, corona cepit. Mox protulit munera ducentis nummorum millibus æstimata, instratum ostro & gemmis equum; gladiolos singulari artificio elaboratos; quorum capulos & vaginas excellentes margaritæ ornabant; vasa aurea, tapetas, & camelos. Vix abibat ulla hebdomada, imo vix dies ullus, qui non

3.
Illis subrogatur
P. Hieronymus
Xaverius. Im-
perator Christianæ
legi favet.

* II. Timot. 4.

simili regis cuiuspiam aut dynastæ obsequio donisque signaretur, Hinc thesauros Imperatoris & aulam conjectare licet.

Alias eidem multo majoris pretii gazas afferebant Evangelicæ legis præcones: & earum agnoscere pretium cœperat, ac nomen Christianum magni facere: nec publicis quæ in æde nostra fiebant precibus interesse dubitavit, genibus diu submissis, Christianum Principem diceres, Jacere contra cœpit in ipsius imperio, quæ hæcenus triumphaverat, superstitione Mahometana, Latè felicibus primordiis Patres scholam aperuerunt. Hanc Regum & Principum frequentabant liberi, præcipue Regis Badaxani tres filii, optimæ indolis adolescentes. Multi è populo sacris Baptismi aquis tincti, Laudavit Imperator, & perscripto diplomate Cambaianis, quorum regnum suo nuper adjecerat, facultatem amplissimam dedit Christiana suscipiendi sacra, eoque Socii aliquot destinati. Sic viam salutis & vitæ aperiebat aliis, quam ipse obstruebat sibi, non solum cunctatione flagitiosa, verum etiam impia superstitione ac superbia, qua majores humanis honores adposcebat, Vota sibi à populo fieri patiebatur, & oblata donaria ab iis, qui se votorum compotes ejus beneficio factos affirmabant, regias inter gazas cupidè reponebat. Nec audiebat adultores invitus, qui testabantur adhibitam feliciter ad sanandos morbos, qua pedes ablisset, aquam, Mane summo despectans è regia fenestra in ingentem plateam, procumbentis in genua populi veneratione fruebatur. Solem interim, more atque instituto veterum Persarum, stans horis ter quotidie adorabat, itemque media nocte; mille quinquaginta nominibus eum honoris causa compellans: qui numerus ipsum ne falleret, singula nomina totidem gemmis notabat. Idem tamen colebat Christum, & catena aurea suspensam è collo Desparæ imaginem, cum sacris reliquiis, gestabat.

4.
Imperatoris superstitio & impietas variis cladibus castigata.

Sed Deus, qui cultum sibi debitum cum nemine dividit, velanæ mentis superbiam improvisa clade castigavit. Festum diem agebat cum liberis in honorem solis, ipso Paschatis die anni MDXCVII. Vasta planities, pulcherrimis referta tentoriis, aulam & populum agre capiebat. In medio ara, instar folii educta ostendebat astrorum Principem, tot unionibus tanquam radiis coronatum, ut oculos intuentium præstringerent. Favebat serenus æther, omnia tubarum & tympanorum clangore personabant: cum subito demissum è cœlo fulmen evertit aram, tabernaculum Imperatoris corripuit, incendiumque totis latè castris circumtulit; solius throni jacturam amplius centum millibus nummorum ducatorum æstimatam narrant. Inde in urbem, mox regiam in domum pervasit ignis impietatis ultor; & immensam opum vim, tot regum ac regnorum spolia, tot annis à superbo Principe congesta, momento consumpsit. Aurum argentumque liquefactum pretiosis fluxisse rivis per vicos Lahoris perhibent. Attonitus tam luctuosa strage funestam civitatem deseruit, & in regnum vicinum secedens, eò secum duxit P. Hieronymum Xaverium & Benedictum Goem; relicto, ut domicilium Societatis cum æde sacra jam inchoatum Lahore solveret, P. Emmauele Piniero.

P. Xaverius paulo quietiorem Akebarum in via nactus, nullum prætermisit locum ejus cohortandi ut verum agnosceret Numen, à quo se tot beneficiis ornatum, tot objurgatum damnis videret. Nihil profecit apud hominem vitis ac superstitione obstrictum. Occasionem oblatam putavit commodiorem, cum paulo post idem in morbum incidit. Invisentem Xaverium accepit ille quidem semper benevolentia singulari, atque adeo in regium conclave, quod nulli procerum patebat, admisit: surdis tamen auribus, quæcumque de salute sempiterna suggerebantur, hausit. Pater mærore summo affectus, alio curas vertit. Grafabatur tota regione fames. Ea compulsæ matres, cum neque se alere nec liberos possent, ipsos venales in foro proponebant. Xaverius infelices puerulos emit quamplurimos, aluitque; maxime quos cerneret jam fame aut morbo debilitatos: qui sacro refecti Baptismate, ad immortales Agni cœlestis epulas evolarunt. Ea viri caritas non indigenarum modo, sed etiam Saracenorum præclarum de Christiana lege opinionem confirmavit. Eorum unus filium ipsi detulit sacris undis expiandum; sed veritus Pater ne, si adolesceret, susceptum in Baptismo

primo Fidem tueri non posset, remisit infantem matri, cum certa pecuniâ summa, qua posset illum educare. Venit postridie mater prima luce, orans ut morientem filiolum ablueret. Abluit, annuente Saraceno pueri parente, ac beatum pignus cœlo intulit: quod exemplum aliâ Mahometanâ, pari felicitate puerorum, imitata sunt. E morbo recreatus Imperator in urbem regiam se retulit: sed in itinere parum abfuit quin filio primogenito, ad cumulûm infelicitatis, orbaretur. Prægressus adolescens venandi studio, in leonis catulos incidit. Eos elephas, cui infidebat, nullo negotio proboscide correptos partim contrivit, partim male multatos fugavit. Ad catulorum clamorem advolans leana, in Principem vulnus: ruit in auctorem. Exertis unguibus & rabido fremens ore assilit in elephantem: sed Princeps petitam plumbea glande paulum est remoratus. Rursum illa nihilominus iras colligebat, jamque dentes cruentos insigebat elephantis, cum juvenis præsentis exterritus periculo, arripit ferreæ fistulæ manubrium, eoque caput feræ comminuit: & accurrens unus ex ejus stipatoribus eandem venabulo transfixit; non tamen impune. Quippe, licet semianimis, stipatorem infortunatum immani rictu laceravit, ejusque saltem exitio catulos ultra expiravit. Creditum est hoc adolescenti beneficium divinitus fuisse concessum, ob singulare illius erga Christianam religionem studium, cujus egregia dabat ubique argumenta; palam se illius defensorem professus, magnamque spem jam tum præbens fore ut eandem non minori studio tueretur, si paternum aliquando regnum obtineret.

Sub hæc perlata sunt ab Indiæ Provinciali ad Akebarum litteræ, quibus ipsi gratias amplissimas agebat pro summis ejus in Societatem beneficiis. Eas infrequentissimo procerum consensu recitari jussit Imperator: cumque P. Xaverius, qui Lusitano primum sermone illas, ut erant scriptæ, legebat, ac postea reddebat Persico, Sanctissimum JESU nomen, litteris identidem insertum, detecto demissoque capite pronuntiaret, occasionem Princeps arripuit explicandi suis aulicis, quis ille Jesus & quantus esset. Recitatæ pariter fuerunt litteræ P. Monferrati ad eundem Akebarum scriptæ; cujus in aula cum P. Rodolpho Aquaviva versatus ante annos admodum octo, & a Saracenis, cum iret in Æthiopiâ, captus, demum adeptus libertatem ac reversus Goam, inde ad Imperatorem scribebat. Qui de rebus Æthiopicis multa percontatus, narrantem de illis Xaverium, ac præsertim de nece per Saracenos illata Patri Abrahamo Georgio*, libentissime audivit: non item Mahometani, qui aderant bene multi: quorum furor, dum hæc dicebantur, emicabat in vultu: & eorum unus P. Hieronymo Xaverio amicissimus, discedentem affectatus, Parce, inquit, mi Pater, de Saracenis liberius & Mahomete loqui. Pro certo habeto, neminem hic è nobis esse quin te, dum hæc narras, perditum ac supplicii omnibus excarnificatum velit: Ego ipse, licet Societati tuæ, ut probe nosti, deditus, vix mihi tempero quin tibi hunc pugionem in pectus adigam.

*Infr. Lib. XXII.

Neque is tamen metus Socios retardavit, quin Apostolica libertate veritatis causam agerent. Armenius præpotens, religione ac nomine Christianus, non re ac moribus, uxoris mortuæ sororem ducere parabat. Nunquam adduci potuere Patres ut incestas nuptias conciliarent. Ille graviter questus est apud Imperatorem, qui nimiam Patrum religionem incusans, Quid enimvero, inquebat, sceleris est, si quis sorores duas ducat? Cui P. Xaverius id veritum Christianis legibus respondit, & eos quicumque id flagitii admitterent probarentve, sempiterno exitio perituros. Responsi libertas Principi movit stomachum: quod ubi sensit Armenius, ejurata religione Christiana, destinatum scelus perfecit. Unius perfidiam Fides Christi à pluribus ethnicis eodem anno MDXCVII. & sequenti susceperat. Quin, è finitimis urbibus liberos sacro lustrandos fonte Lahorem deferebant, quorum permulti statim post acceptam cœlestis gratiæ stolam, inferebant eam cœlo, nunquam peccati labe inquinandam: nonnulli eandem martyrii sacra purpura ornaverunt. Enixa filiolum Mahometana, novum illi ac feliciorum ortum Baptismo dederat. Affiniam deinde & vicinarum querelas in-

5.
Saracenorum
in Christianos
& Societatem
odium. Patrum
libertas Aposto-
lica.

sectatio-

sectationesque non ferens, mamillas toxico circumlivit. Necem cum vitæ alimento fuxit puer: abjectum à matre impia Patres exceperunt, & aræ in qua renatus fuerat imposuerunt: ubi tenellos artus, ob conceptam intimis visceribus pestem, miserum in modum distorquens, Christum non loquendo sed moriendo confessus est. Regiam quoque urbem cum sæva per idem tempus popularetur lues, quæ ducenta hominum millia sustulit, plurimi antequam exhalaret animam, salutaribus aquis respersi æternos ignes evaserunt.

Nondum privatis publicisque calamitatibus victa superbi Principis, oblatam Christianæ veritatis lucem tandiu respicientis, pertinacia frangebatur. Graviore percutienda telo fuit. Decani regnum fines Goanos attingit, septentrionem versus. Hujus parte Mostafam olim spoliaverat Akebarus, & inter domesticos proceres aliquandiu pacatum habuerat. Ille servitutis otisque pertæsus, aulæ clam relicta, regium nomen & bellum resumpserat. Perduellis partes amplexi erant Mahometani, & quicumque rebus novis studebant. Sed priusquam vires & arma consociarent, Imperator statim ipsis objecit Paharium filium natu minorem, eumque Moradi nomine insignivit, adolescentem parenti simillimum, cui destinasse imperium ferebatur, spreto majori natu, propter asperos mores & ingratos patri. Addiderat filio ingentem exercitum, lectissimos duces. Egressus juvenis Princeps cum omnibus copiis, signa cum perduellis contulit; numero longè superior, sed Mostafa bello summus erat. Hujus virtuti & industria ubique victus & fusus hostis cecidit: edita Mogolorum fœda strages, & in confuso caesorum acervo Moradus ipse jacuit. Hoc vulnere percussus Imperator Numinis manum, a quo feriebatur, agnovit; nec præterea solem colere, aut ipse coli ab hominibus sustinuit. Visus etiam Christianis impensus favere. Ne suum inter illos nomen profiteretur adhuc obstabant reliquæ superstitionis, tum politici quidam metus, Principum consilia vel optima disturbare soliti: denique novi, & atrocis belli cura, quod ipsemet contra Mostafam ducere parabat. Ad copias undique comparandas & apparatus necessarium egressus urbe regia, comitem itineris adscivit P. Hieronymum Xaverium, qui nullam elabi passus est occasionem insinuandæ nutanti animo veritatis. Cum vix quidquam promoveret, apertius agere constituit, & Imperatorem negotiis vacuum paulo ante Kal. Sextiles anni MDXCIX. nactus, epistolam ei legit, ab Indice Societatis provinciæ præposito nuper ad se missam. Scribebat Provincialis, illos, quandoquidem quintum jam annum in aula Mogolis degerent, videri fatis magnam linguæ vernaculæ cognitionem affectos, ut Principem, per se cupidum veri cognoscendi, erudirent: incumbendum in hanc unice curam, quæ tanti esset momenti ad salutem ipsius, & ad imperii totius felicitatem. Proinde id impense agerent, & quo res esset loco certior se facerent. Quod si Akebarus ipsos non moraretur, aut negotium amplectendæ Fidei in longum duceret; sibi esse deliberatum opera illorum ad aliam quandam, quæ magis urgeret, Missionem uti.

6.
Fructus Mogolice Missionis

Epistolâ recitatâ, subjecit Pater permolestum sibi ac sociis esse, quod Imperator incensa illorum de ipsius sempiterna incolumitate studia tandiu distineret: non recusare se laborem, modo ne inutilis foret: obsecrare ut aures Deo vocanti instantique præberet. Id quidem ago, inquit Imperator, & agam in posterum accuratius, postquam in Decani regnum venero: neque tamen est, cur vos laboris temporisque pœniteat. Nemo ante hos quinque annos palam audebat Christum Deum apud Mogoles profiteri, quin capite dictum lueret: nunc id prædicare vobis, & aliis audire, passim ac tuto licet. Ita esse Xaverius agnovit, & maximas idcirco gratias egit: perrexitque orare ut tantis erga religionem Christianam promeritis cumulum, quem petebant, adderet; seque salvum ipse, quod enixè quærebant, vellet. Sane florebat in dies magis religio, nihilque deerat aliud ad illius splendorem, nisi exemplum Principis. Natalitiæ Christi ferriæ insigni pompa celebratæ: proposita imago præsepis Bethleemii: Deus infans ad venerationem oblati. Ad hoc spectaculum tanta omnium ordinum & ætatum frequentia confluit, ut ædes sacra quotidie, per dies viginti continuos, tria quatuorve adorantium acciperet millia. Administratus insigni pompa fuit in media
Lahore

Lahore Baptismus. Procefferunt per viam floribus infratam, & decisis vernan-
tem ramis; longo agmine catechumeni, palmam singuli gestantes manu: stipa-
bant baptizandos candida conspicuos veste, Christiani antiquiores: tubæ, tym-
pana, fistulæ, perstrepebant. Peracta baptismi carimonia, & dilapsa multitudine,
restitit in templo puella sexdecim annos nata, & caput sacro pariter tingend-
um fonte obtulit. Quarit sacerdos quid velit: & illa, Baptismum, inquit. Sed
nondum, retulit sacerdos, in catechumenorum albo scripta es: prius erudiaris
oportet: ubi sacram doctrinam probe perceperis, fies voti compos. Hanc vero,
subjecit puella, cum aliis traderetur, omnem animo percepi: periculum fac mo-
do, nisi molestum est: nam mihi stat sententia hinc pedem non efferre, nisi Chri-
stiana sim. Interrogat igitur, ac locutam vera cognoscit; nec facere potuit, quin
illi animum expleret. Puella triumphans domum repetiit, nec dubitavit se Chri-
stianam profiteri coram ethnicis parentibus. Ab iis male verbis ac verberibus
accepta, pertrahitur ad judicem. Is, cur mutaverit religionem sciscitatur. Quia
falsam agnovi, respondet: quia Christum esse Deum, ac mundi servatorem, scio.
Convenerat in eundem hunc locum ingens populi, ac Mahometanorum præci-
pue, turba: qui rabie perciti vix crudeles manus abstinebant à puella. Judex
impiorum furori iussa Imperatoris opposuit, ac virginem liberam pronunciavit.
Id accidit vertente anno MDXCIX. in urbe regni primaria, ubi multa ejus ge-
neris exempla edita sunt annis consequentibus.

Neque nihil in exercitu factum est emolumenti ad salutem animarum. Splendoris plurimum & pompa habuit septem regni Decani procerum accessus ad Christianam Fidem. Akebarus, Mostafam perduellem copiis omnibus persequens, arcem Decani regni permunitam obsidione cinxerat. Arx imposita monti, millia passuum quindecim in orbem patenti, triplici muro cineta, perennibus aquis & annona omnis generis abundabat. Intus multa hominum millia, flos roburque totius regni. Sexcentæ murales machinæ coronabant muros, & horrida tonantis coeli murmura imitabantur. Bellicam rem consilio & manu administrabant septem duces, à quibus tam impigrè, tam fortiter omnia gerebantur, ut Akebarus cum ducentis licet hominum millibus ne intueri quidem arcem propius posset. Quod negabatur viribus, tentatum est dolo; ac demum machinâ, omnibus viribus fulminibusque potentiore, superatum. Et primo quidem arcis præfectum ad colloquium pellexit, data fide nihil ipsi inferendum damni, statimque in arcem remittendum. Auctores erant septem, quos dixi, duces ne prodiret. Sprevit consilium infelix, & ad Imperatorem venit serviliter supplex. Ab eo contra fidem datam redire vetitus est, ac iussus scribere primariis ducibus, ut portas centurioni, quem Akebarus mittebat, aperirent. Offensi perfidia duces solenne sacramentum ante aras dixerunt, nullis se neque minis neque imperiis adductum unquam iri ut arcem dederent. Instabat hyems, neque arcis expugnanda ulla spes affulgebat. Armis aureis victoriam acceleravit Imperator, priscum illum Macedonem imitatus. Onustum nummis jumentum per invias rupes agit. Copiarum ductores præcipui de facienda deditione mussant; miles aureo perfusus imbre friget ad belli munia: panduntur portæ: hostis admittitur. Præfectus arcis in longinquam abductus regionem, annuo censu attributo, ævi quod fuit reliquum privato cultu egit inglorius. Septem duces Imperator, quia pertinacius restiterant, multari verberibus & ignominia jusserat affici. Precibus tamen Patrum placatus se remisit. P. Pinius domum nostram ductos erudivit accuratè; omnesque, aspirante aura divini luminis, per Baptismum auctorati sunt Christo. Ex eadem arce hunc in modum capta plerique Lusitanorum liberi venerunt in Patrum manus; & postea sunt Goam, annuente Imperatore, delati. Nec pauci è Saracenorum impura colluvie salutaribus purgati lymphis, præsertim infantes. Eorum unus in sterquilinum abjectus à parentibus, & adductus ad sacerdotem, è stercore ad immortalis regni Principes felici sorte transit.

Interim instabat coeptis Akebarus, & bellum impigrè urgebat. Quem Mostafa eludens astu, detrectabat pugnam, cavebatque diligenter ne in decretorii certaminis discrimen se committeret. Premebat nihilo segnius vestigia fugientis imperator,

7.
Septem regni
Decani proceres
ad Christi Fi-
dem adducti.

8.
Imperatoris fi-
lius in patrem
rebellat. Con-
certationes cum
Mahometanis.

perator, eum domestico tumultu retardatus, & à belli cura parumper avocatus, domum repetiit. Erat illi filius natu major, Cha-Selimus, qui deinde suffectus patri, Jehanguirus, hoc est, Orbis Dominus, dici voluit. Is ante aliquot annos adulatorum sermonibus, & immatura regnandi cupiditate in fraudem inductus, parenti bellum indixerat. Sed malo suo didicit injuste contra patrem, infelicitate contra senem expertumque regem arma sumi. Victus, acie captus, & in arcem inclusus, diu in luctu ac vinculis jacuit; donec amor parentis, & spes adolescentis ad sana revocandi consilia, iram regis & judicis severitatem vicit. Aiunt, cum emitteretur è custodia, deductum ab Imperatore in densum nemus per causam venationis fuisse. Jusserat Akebarus ad arboris præalta ramos affigi capitulum è præcipuis conjuratis. Agnovit omnes Cha-Selimus, & cohorruit. Tum Imperator: Vides istos, perfide? Sors eadem esse tua debuerat. Patrem in me oblitus es, ego filium in te oblivisci non possum. Reddo quam dedi tibi vitam, quam eripere mihi voluisti. Non possum tamen facere ut omnino inultum scelus feras. Satis magnam imponet tibi pœnam memoria posteritatis, & annalium fides, cum Tamerlanis Magni nepotem parenti necem machinatum esse dicet. Fac saltem ut in iisdem annalibus emendatum dolore vero scelus, & compensata singulari fide perfidia legatur. Abjecit se ad parentis pedes adolescens, caritate tanta victus, ac sancte promisit futurum ut nulla dies ipsum beneficii paterni male memorem argueret. Alta & gravia vulnera vix sanantur penitus & coeunt. Vivebat in Akebari pectore memoria scelerata conjurationis, nec eodem quo prius vultu filium aspiciebat. Quin, ipsum imperio submovere velle ferebatur, ejusque fratrem Paharium illi subrogare; mox, Pahario, ut diximus, casu, nepotem. Sensit hoc Cha-Selimus, & pristina perduellionis impiæ consilia tanto ferocius apertiusque renovare cœpit, quanto majorem sceleris perficiendi spem ætas imperatoris ingravescens facere videbatur.

Primas feralis incendii scintillas opprimere meditans Akebarus regiam in urbem revolavit. Ac primo quidem lenibus remediis ægram filii mentem sanare per interpretes fidos ac sequestros conatus est quam minimo tumultu; atque ita perduellem emendare, ut filium servaret. Dum id mittendis ultro citroque internunciis geritur, nihilo secius Evangelii præcones solita tractabant munia. Plurimæ concertationes habitæ cum Mahometanis. Nec semel iis Imperator ipse interfuit, graviores dissimulans aut fallens curas; risumque captans ex inscitia responsisque Mulassorum. Illi cum se in angustias compulsos animadvertèrent, solebant uti hoc effugio, legem Christianam intelligentiâ comprehendere non posse. Nec risu abstinebant, cum P. Pinierus Dei filium nominabat, qui cœlibem tamen Deum esse fateretur. Quod Pater cum ab iis audiret sæpius, neque genus hominum sordidum & impurum, adhæc litterarum expertus ac doctrinæ omnis inimicum, erudire dicendo posset; similitudine apposita cohibuit. Nam è Mahometanis quendam ceteris ferocius instantem compellans, Heus, o bone, inquit, Deum, quæ geruntur à nobis cernere putas, an non; & audire quæ dicuntur? Cum ille annuisset; Qui fieri potest, inquit, istud, cum oculis Deus, auribusque careat? Hæsit hominis rustici retardata loquacitas: & quod ille respondebat, mirum divinâ quadam, spiritali, & ignota mortalibus ratione id fieri; hoc ipsum Pater ad mysterium Trinitatis nullo negotio transtulit.

Ethnici, quibus eadem abundat regio, ad perdendos Patres venena, non ad disputandum argumenta, quæsierunt. Mos erat Socii congregare ad fores egentium turbam, quibus obsonia & stipem, ut erat commodum, dispertirent: centum quotidie, plures interdum conveniebant. Adfuit inter illos juvenis, ore satis liberali. Digressis ceteris, Patrem Pinierum seorsum alloquitur, voce ad commiserationem composita; & Juvenem, inquit, infelicem vides, non obscuro loco natum, pulsum patria, spoliatum bonis: vix inimicorum insidias & manus hoc centone rectus fugio. Oro ut per te mihi liceat parumper latere domi vestræ, & instituta Christiana cognoscere: magistris uti melioribus non possum, quàm vobis. Motus adolescentis oratione Pinierus, & spatium ac facultatem fore majorem sperans illius erudiendi, Christoque adjungendi, ultro annuit.

Verfa-

9.
Patrum domus
novo stratagemate
ab ethnicis direpta.

Verfabatur domi tanquam unus è nostris, dicto audiens, quietus, & scelerata consilia vultu ad simulationem ficto bellè regens. Ubi videt se minime observari, arrepto tempore, in fontem domesticum & escas mensæ apponendas, clam spargit venenatum pulverem; cujus ea vis erat, ut sopitos sensus ineluctabili opprimeret lethargo, vocemque ac motum omnem inhiberet. Ut ventum ad cœnam est, Pinierus, post unum alterumve bolum, sapore ingrato admonitus, & cibum introspectans, aliquid olfecit mali; ac sibi parari necem uni suspicans, è vestigio se recepit in cubiculum, veneni vim somno domare cupiens: nam hoc illi malo certissimum remedium est. Reliqua familia paratis & pestilentibus cibis, quia non suppetebant alii, & insulsos ac malè conditos apponi novum non erat, affatim vescitur; at non impune: statim enim omnes veterno tristi languere, vacillare, prolabi demum & procumbere, ubicumque somnus invitos ac reluctantes occupasset. Pinierus, ut reliquum virus excuteret, aqua calida vomitum proritare tentavit. Eam quoque vitiam haustu primo sensit. Actum erat, si totum poculum ebibisset. Jacuit nihilominus aliquandiu omni motu sensuque destitutus. Compos voti proditor prædones ad januam præstolantes introducit. Patrem Pinierum, quem nondum plane sopitum cognoverant, includunt cubiculo; domum omnem pervagantur ac spoliant: obferatas conclavium januas malleis emovent. Ad strepitum excitatus Pinierus paulum assurgit, vocem conatur mittere; verba hiantem desciunt. Interim aliquantulum recreatus, progreditur ad cubiculi sui fenestram, quæ despectabat in vicum; oculis manibusque incondito jactatis motu, prætereuntibus dat signum: sed jam cohors scelerata diffugerat. Accurrit populus, & jacentes temerè alium alio loco intuens, mactatos credidit. Educunt Pinierum conclavi, à quo nutu & signis, mox etiam balbutiente lingua, docentur quid rei contigerit. Curati cum illo reliqui opportunis remediis, & è brevi morte revocati sunt. Rem indignissime Imperator tulit, ac proditorem jussit inquiri; quod erat illatum Patribus damni compensandum pollicitus: sed sacrarum imaginum ac reliquiarum jactura sarciri non potuit, quas opes gazis omnibus longè præferabant. Auxit omnium erga illos benevolentiam calamitatis, ut sit, commiseratio, & laus patientiæ. Aditus plerisque ethnicis ad cœlestem vitam & ovile Christi per eam occasionem est patefactus; ac juveni præsertim Mahometano. Ille Meccam ad Mahometis sepulcrum nudis pedibus iter longum ac difficile instituerat: & collocatis in Alcorano perdiscendo annis duodecim, Lahoriam egregius Mulla (id nominis est Mahometanis doctoribus) redierat. Nec Pinierum in certamen vocare dubitavit; eruditionis famam ex adversario nobili, quem aut vincendum aut exarandum confidebat, captans. At una itemque altera petitione vulneratus, victori manus dedit. Candide postea solebat profiteri, nunquam se in Mahometanis fabulis acquievissè; jam autem adeò perspicua luce mentem suam collustrari, ut vel hoc unum sibi satis esset argumenti, veritatem ac felicitatem nusquam, nisi in Christiana religione reperiri posse.

Gravem à parentibus pugnam sustinuit alter adolescens, civis Lahoriæ primarii filius. Domum paternam, ubi Christum impune colere non poterat, deseruit, seque ad Patres recepit. Continuo mater adolescentis filium à Patribus repetit. Pinierus lites molestas fugiens, & virtute catechumeni fretus, maternis precibus cessit. Ubi filium habuit mulier in potestate, beneficiis ejus constantiam aggressa est labefactare, ac mentis sanitatem paulum conturbavit. Eà sacris antidotis recuperatâ, cum vitam quoque toxico pei suam sensit juvenis, rursus ad sacram adem fugit. Coeunt cognati & amici turmatim ad Pinierum. Prodire adolescentem ille jubet, ac pro se loqui. Progressum invadunt, amplectuntur, ac protrudunt. Lucatur contra instantes, & toto corpore connisus extricat se, proculcata etiam matre, quæ pedes attingebat. Quin, arrepto gladio, rucebat in disiectos. Objecit se furenti Pinierus & ferrum extorsit, satis intelligens nihil malle adversarios, quam ut vulnus exstaret, ansa criminandi. Nihilominus deferunt ad judices causam, conscribunt grandem libellum, refertum confictis in Patrem criminibus. Juvenis palam funiculum collo circumdaturum.

Partis V. Hist. Soc. Jesu Tom. II.

M m m

disci-

10.
Catechumeni
mira constan-
tia.

discidit, quo uno maxime signo declarant se pristinam religionem abdicare: tum oblongos crines, quos ceteris defectis alunt in vertice, forficibus abrafit: Christianum sese, illos ligni lapidumque cultores, & sempiterno destinatos exitio, vociferans. Efferati hac oratione provocant ad prætores quosdam urbanos, ethnicorum causis cognoscendis præpositos. Ad illos deducitur neophytus, quem Ethnicorum quatuor aut quinque millia stipabant, populo è testis ac fenestris spectante, ac tota civitate suspensis animis expectante negotii exitum, quo jacienda de peregrinis religionibus alea videbatur. Non temperabat conviciis plebecula; proximi quique fannis saxisque incessabant. Ventum denique ad prætores. Illi mulcere juvenem blanditiis, opes & honores ostentare: piari facile culpam spretæ religionis posse, modo corpus in Gange ablueret. Existimant enim aqua Gangis elui peccata, & pristinum animis candorem, cum plenissima delictorum venia restitui. Ridente superstitionem neophyto; unus commotior, Aut moriendum tibi est, inquit, aut pristina religio repetenda. Quid cessas? exclamat juvenis: nulla est in me mora; vides ad omnia supplicia paratissimum. Sed illud demiror, tot quotidie ethnicos ad Mahometanorum sectam impune ac placidè desciscere, tantas ob unum Christianum tragœdias excitari. Prætores, ubi nihil proficere se vident, hortantur parentes ut operam in pertinaci filio ne amplius ludant. Restabat unum adhuc tribunal regii quæstoris. Nihilo iste plus profecit: imo generosus adolescens, illo annuente, paternis cessit bonis, confecto è juris formula libello; quem postquam parentibus quæstor dedit in manus, jussit adolescentem P. Piniero reddi. A Christianis ovantibus reductus est in ædem sacram, & ab urbis præfecto, quamvis Mahometano, magnis laudibus ob constantiam, & muneribus, ornatus. Illuxit hæc dies Fidei catholicæ longè pulcherrima, & quantum attulit religioni veræ splendorem, tantum profanis sectis pudorem ac dedecus inussit.

II.
Diploma regis
Mogolum in
gratiam Chri-
stiana legis.

Nitebantur hæc omnia præcipuo Imperatoris in Patres favore, ad quem ingens hoc anno cumulus accessit. Antea ille quidem suis potestatem proficendæ legis divinæ fecerat, sed verbo tenuis: nihil exstabat scripto exaratum, nullum diploma, quo magistratum aut impietas aut malevolentia frenaretur. Impetratum denique est hunc in modum. Lahoriæ novus prorex Mahometanus Christianis molestiæ plurimum exhibebat. Akebarum adeunt Patres; demonstrant quantum instet ab urbium & provinciarum præfectis quotidie periculi, nisi sit in promptu edictum aliquod regia manu obsignatum, quod illorum cupiditati obiciatur. Assensit haud gravate Princeps, & edicti conficiendi negotium eunucho præpotenti dedit. Patres summa rerum capita, quæ referrentur in edictum, eunucho poscenti detulerunt; atque illud in primis, velle Imperatorem ac jubere, ut Christianam amplecti legem cuilibet jus fasque esset. Negavit eunuchus istud perferri caput posse, nisi Princeps nominatim præciperet. Præcepit. Conscriptum rite diploma defertur ad regni cancellarium, ut mos ferebat. Ille copiam edicti Saracenis aulam frequentare solitis facit. Enimvero scelerati furere, ac denunciare nunquam ejusmodi edictum, si quid apud Imperatorem possent, perferendum, quo Mahometana religio tam apertè lædebat. Patres sinistro attoniti rumore cancellarium conveniunt. Cunctatur; diem ex die ducit; ad extremum fatetur se publicis rationibus impediri, atque adeo domesticis (erat enim proregis Lahoriani socer) quominus ratum edictum habeat. Vidit Pinierus tam difficile nodum solius Imperatoris auctoritate solvi posse: sed omnes ad ipsum vias obstructas reperit. Nunc operam audiendis legatis dare: nunc aliis distringi negotiis fingebatur. Inter aulicos eximium regalis gratiæ locum obtinebat adolescens, olim Patrum discipulus. Hunc de re tota docet, ille Principem: nec utgere negotium destitit, quamvis regii sigilli custos summa vi contra nitereur, donec obsignatum ab Imperatore diploma ipsi Patri Piniero traderet, aliam tanti meriti mercedem nullam, nisi Christi Domini pictam in eleganti tabula imaginem, postulans.

II.
Liber de vita
Christi scriptus
Persicè à P. Hieron. Xaverio.

Hoc diploma tam præter spem impetratum anno MDC. simul addidit P. Hieronymo Xaverio, ut ultimam libro manum imponeret, quem rogante Akebar

baro scribere aggressus erat de vita, miraculis, & doctrina Christi. Absolutum, & Persico sermone conscriptum perlegit Imperator magna cum voluptate. Utque regum approbatio pretium rebus ingens addit, brevi confecta sunt multa ejus exempla, perque imperium late sparsa. Hunc P. Hieronymi Xaverii librum è Persico sermone in Latinum hæreticus interpres convertit, ac Lugduni Batavorum emisit; additis annotationibus & animadversionibus è Calvinii schola sumptis, & ab auctoris mente penitus alienis. Ac ne verba quidem Persica, semper cum fide reddidit*; fortasse quia vitiosum exemplar nactus erat: ut rectè observavit scriptor eruditus Petrus à Valle, qui è meliori codice mendosam interpretationem correxit, ostenditque merito damnatam** à sacra Indicis Congregatione Historiam illam Persicè conscriptam, & Latinè sic redditam, cum animadversionibus, quas memoravimus.

* Vide Biblioth. Script. Societat. verbo, Hieronymus Xaverius.

** An. 1601. 1602.

Ad excitandam populi pietatem Patres egregiam Beatissimæ Virginis imaginem, illi persimilem quæ Romæ del populo nuncupatur, proposuerunt venerationi Fidelium, in templo nostro. Viderunt eandem ethnici, & aspectu sensuque intimo pietatis ita fuerunt omnes permoti, ut civium concursus ingens in ædem sacram sit factus. Erat effigies sericeo tecta velo, quod removebatur cum referretur populo ædes erat: simul aderant Patres qui docerent, quæ Virgo hæc, quis ejus Filius, quantus esset per se se, quantulus nostra factus causa. Paucis post diebus regni Principes, doctores etiam Mahometani, quamvis imagines omnes detestentur, nec in templa Christianorum ingredi vulgo sustineant, convenerunt visendi studio. Manavit hæc ad Imperatorem fama: delatam ad se imaginem veneratus aperto capite, illam aulicis suis singillatim accedentibus ostendit, innuitque non obscure gratissimum sibi munus isthuc futurum. Patres veriti ne thesauro tanto spoliaretur ædes sacra, laudarunt Principis pietatem, & sermonem alio deslexerunt. Sensit quid agerent, & Saltem, inquit, unam, non amplius, noctem, tabella penes me sit. Cupiebat uxoribus eam suis commonstrare; apud quas, etsi Mahometanas, ita de Christo ejusque matre Virgine est locutus, ut omnes obstupescerent: ipse imaginem in ornatissimo regii cubiculi composuit loco, ac proxime adstans, non patiebatur à quoquam atrectari. Cum autem reportanda esset in templum, populo ut satisfaceret, evocavit peritissimos quosque civitatis pictores, tabulam ut imitarentur: & quamvis arti suæ atque ingenio, nec injuria, dissidentes, tamen rem tentare jussit. Concurrentibus interim ad spectandum è finitima regione dynastis, facultas amplissima doctrinæ Christianæ prædicandæ oblata Patribus est. Remisit imaginem Imperator cum regio munere nummorum complurium. Nihil præter sacram effigiem Patres acceperunt: quæ illorum abstinentia Christianæ legis sanctimoniam non parum illustravit.

Lahoriæ, quæ altera civitas est regia imperii Mogolici, legatus Persarum liberos suos Patri Pinero baptizandos obtulit, Christianus ipse ex iis quos Georgianos appellant. Rediturus in Persidem promisit Patribus acturum se cum Rege ut eos evocaret, & Fidei promulgandæ faceret potestatem. At Agræ, quæ altera civitas regia, magis ad Austrum vergens, sacram ædem anno MDCII. primam omnium Christi cultores habuerunt, studio præsertim & munificentia Principis adolescentis conditam; qui paternam in præcones divinæ legis benevolentiam æmulari ac superare contendebat. Sacris imaginibus mirificè delectabatur, & omnia Christi mysteria depingi à peritissimis imperii pictoribus, atque unum in volumen compingi voluit. Præterea ejusdem Christi crucifixi effigiem incidi jussit in smaragdum ezimie magnitudinis, quem aurea catella suspensum gerebat è collo. Idem aliquando unum è sui corporis stipatoribus, quem Christianum esse norat, palam interrogavit quam religionem sectaretur. Miles pudore malo confictus Saracenum se dixit. Statim valere, & suas sibi res habere jussus est; vixque effugit quin mendacium & impietatem, abscissâ linguâ, lueret. Hac pietate, atque adeo Patrum adhortationibus paulum est mitigatus ferox adolescentis Principis animus, qui parenti semper infensus ob eam, quæ superius* allata est, causam, arma clam & copias parabat. Melioribus consiliis paruit, & ad obsequium parentis pacemque se retulit.

13.
Persarum orator in aula Mogolis, liberos suos baptizandos Patribus tradit.

* Suprà. n. 2.

14.
Mors Akebari.
Ejuidem egregie dotes & ambigua religio.

Quantam Patribus letitiam attulit hæc regie familie concordia; tantum illis dolorem inussit ipsius Imperatoris funesta mors, paulo post consecuta. Hanc Mogolicis annalibus ita proditam accepimus. Marore affectus ob unius filii jacuram, & alterius mores improbos, crebrasque ad occupandum vivo patre imperium molitiones, dolorem suum silvarum secessu & venatione solabatur. Accidit ut æstu fessus, atque à suo paulum semotus comitatu, in arboris parulæ umbra confidèret. Dum se componit ad somnum, videt prorepere ingentem erucam, ignea maculosam cute, quales in sola ferè visuntur India. Eximit pharetra sagittam, illiusque cuspide propius accedentem obterit. Haud ita multo post eadem sagittam, quam præ manibus habebat, conspectam procul damam figit. Quo vulnere licet levi, subito mortua concidit; ejusque caro livida & putris venatoribus apparuit: quin, objecta canibus cunctos, quicumque illam gustaverant, momento examinavit. Miratus Imperator veneni vim, erucam in palatium deportari iussit, indeque confici toxicum immedicabile. Cui muneri venescum insignem præfecit, ex eoque primum tempore inter aulicas præfecturas ista locum haud vulgarem obtinuit. Hoc usus administro Akebarus plurimos proceres, quos Mostafana perduellionis affines putabat, è medio sustulit. Sed ad vitandam crudelitatis invidiosa famam virus exitiale temperabat, compositis peculiari quadam arte catapotis, quæ lentiolem, sed certam & inevitabilem, afferebant mortem. Ejusmodi cataporia suspectis hominibus, aut gravis ac sæpe occulti maleficiis reis, privatim offerebat ipse, ingratum munus; utque coram glutirent imperabat: in eo tamen clementiæ laudem captans, quòd supplicia meritis majora, leviori multaret. Inventum triste auctori suo funestum existit. Auream semper gestabat pyxidem, iatria divisam loculamenta, quorum in uno betela; in altero pilulæ salubres, & cordi capitique utiles; in tertio ista venenata, a salubribus neque colore admodum neque pondere discrepantes. Contigit aliquando ut injecta præproperè in pyxidem & errante manu, letalia cataporia pro sanis probisque fumeret. Continuo intellexit sibi esse moriendum. Nihil Indica, nihil Lusitana remedia valuerunt. Incidit ejus obitus in VI. Kal. Novemb. MDCV. veramque Augustini probavit vocem, docentis hac animadversione puniri merito peccatorem, ut qui vivens oblitus est Dei, moriens obliviscatur & sui. Audito regis morbo, Patres ad regiam accurrebant, ut suprema, quæ tempus poscebat, consilia suggererent. Sed, quia vis mali paulum remiserat, lætum inter gestientis aula planus reperit. Mæsti recessere. Quis enim tunc ullam de morte fieri mentionem æquo animo ferret? Ecce autem triduo post lugubris pererrat urbem rumor, serpere venenum in intima præcordia, spem vitæ penitus ademptam. Trepidi ad regiam recurrunt; obseratas fores nullis precibus, arte nulla perumpere potuerunt. Fugerat parentis conspectum ejus filius & successor, male sibi, ut modo narratum est, conficius: tamen à regni primoribus confirmatus, qui captata temporis opportunitate, sacramento illum adegerant, ut Mahometis sectam defensurum se promitteret, venit in regiam, ac patrem voce jam captum reperit. Erigens se ad ejus conspectum senex, ut erat mentis adhuc planè compos, regale capitis sui tegmen filio imponi iussit, & ensam suo cervicali subjectum ejus lateri accingi. Veneratus ore in pavementum demisso parentem filius, certusque jam Rex, domum ab aulicis gratulantibus reducit. Pauci apud morientem Imperatorem restiterunt; pauciores apud mortuum. Ita destitutus periit, qui modo terror India, belli pacisque arbiter, largitor regnorum & prædo erat.

Paucos habuisse fertur India Principes illi pares opibus, consilio, felicitate. Argumento est nomen Akebar, ipsi à suis communi consensu tributum statim ab inito imperio, quæ vox idem valet ac *Nulli secundus*. Duas in se dotes felici nexu junxerat: nobilem Tartarorum ferociam, & Indorum placidam lenitatem. Hac populi amorem, illâ procerum obsequia provocabat. Regias aures infimi cujusque precibus & querelis bis præbebat quotidie, idque stans, ac sine ulla tædii laborisve significatione; in omnes æquus, peregrinos juxta & suos; quibus ut semper ad se patèret aditus, aureum conclavi tintinnabulum apposuerat, quod pulsare foris cuilibet fas esset. Præceperat etiam ut quotiescumque irrogasset

passet alicui supplicium, tandiu procrastinaretur, donec ter tristem sententiam dixisset: libenterque causas parcendi audiebat. Interim in levissimas rei domesticas curas ingentem animum partiens, quæ cujusque de suis administris, in qualibet provincia, urbe, ac prope villa, partes essent, norat: equis suis & elephantis, quorum incredibilis multitudo, imposuerat nomina & meminerat. Ad eum ex omnibus provinciis litteras dabant regionum præfecti, ducesque copiarum, singulis mensibus: ex quibus quid ubique in vastissimo gereretur imperio cognoscebat. Interrogandis exteris delectabatur, & aliud agens ex iis excuspebat quæ rescire cuperet de regibus ipsorum ac principibus. Nec vero aniles sibi recitari fabulas patiebatur à joculari aulicorum turba, ut somnum conciliaret, cujus erat, itidem ut cibi, parcissimus: utiles narrabant historias, librosve attente audienti lectitabant. Oryza, lacte, paucis fructibus interdum saccharo conditis, vescabatur; carne nunquam. Nihil fere aggressus per quinquaginta, quibus regnavit, annos perhibetur, quod non prosperè confecerit. Quamobrem in exemplum felicitatis humanæ illius nomen abierat. Unum ipsi defuit, in quo felicitatis summa, Dei veri cognitio, vel potius cogniti cultus & obsequium. Comprehendi jusserat ante viginti annos (id quod ex ipsomet audivisse se Pater Hieronymus Xaverius scribit) infantes triginta, & in certum incluserat locum, ubi nemo verbum iis ullum faceret; proposita nutricibus poena capitali, si quam mitterent vocem; & additis, qui eas observarent, mutis pariter custodibus. Avebat rescire quonam illi pueri sermone primum uterentur, ut ejus gentis arriperet religionem, cujus linguam usurpassent. Fefellit hominem ridicula observatio: nullus puerorum, cum ætas adfuit matura sermoni, vocem ullam enucleatè protulit: gestu nutuque loquebantur: hunc unum sermonem didicerant à suis nutricibus. Imperator in proposito retinendæ falsæ, vel nullius potius, religionis hæsit. Fuere tamen qui obisse Christianum putaverint. Id confirmant è superbissimo, quod sibi ante obitum è marmore ac lapillis Indicis construxerat, sepulcro, in quo visitur etiamnum egregia imago Christi crucifixi, & pulcherrima Deiparæ, nec non S. Ignatii statua, quas Imperatores consecuti Attalico tapete velandas curarunt, ne Mahometanis suis agrè facerent. Et à se conspectas Europæi scriptores * memoriæ prodiderunt. Negant alii fatis id signi esse ad Christianam Akebari mentem demonstrandam. Quippe qui tum maxime, cum impiæ superstitioni palam indulgebat, propositas ad venerationem teneret in palatio sacras imagines, iisque honorem adhiberet. Qui eum interitùs norant, id ipsi propositum fuisse crediderunt, ut aliquid è variis quæ vigeant in India religionibus decerperet, novumque religionis conflaret simulacrum, ut omnes imperii sui populos communi quodam pietatis publicæ vinculo colligaret. Jam hujus novæ religionis dogmata condidisse ferebatur: & alias paulatim antiquaturus, initium fecerat à Mahometanis, quorum everterat fana, & solitas edici quotidie statis horis è summa turri preces vetuerat. Statuam superbi Nabuchodonosoris, creta lutoque male sultam, divina manus cum ipso artifice disjecit.

* Manuchius in Chronico Mogolico.

Pauci severe mortuum, quem vivum omnes timuerant. Ne filius quidem, rerum potitus, funebrem vestem induit: eam unus itemque alter ex aula populo qui sumpserant, exuerunt sub vesperam. Rex impositus recenti folio religionem utilitate metiri, ut Principes multi, cepit. Ergo desertis, quos in oculis ferre videbatur, Christianis, Saracenos, ut plures & sibi magis necessarios, amplexus est. Perfidum regem secuta est non tardo pede poena. Suus in eum filius, ut ipsemet in patrem olim, rebellavit: dissimili tamen eventu. Quibus stimulis incitatus fuerit Principis adolescentis furor, monumenta Mogolorum alii que scriptores fusè prosequuntur. Erant Jehanguiro filii quatuor. Cosrous natus maximus; tum Pervizius, & Chorromus, ac demum Scheheriar. Huic postremo ac natu minimo Nurjahama, inter reginas Imperatori gratissima, filiam suam collocaverat. In hunc unum congesti honores, munera, præfecturæ. Fratres ejus, semoti ab aula, & in provincias longè ablegati. Hoc verò molestissime omnium tulit Cosrous. Urebat illum etiam reginæ ambitio impotens, quæ uxorio marito imperitans, omnia pro libidine administrabat, utque filiam haberet Augustam, impe-

25.
Jehanguirus Akebari successor. In eum filius Cosrous rebellat.

imperii & naturæ jura certissima violabat. Si nullum est, inquebat Cosrous, in æquitate patris filio præsidium, forte in armis erit. Si quid peccabimus, parentis exemplo peccabimus, qui sibi fas olim patrem persequi bello duxit. His inflammatus conjuratos vocavit ad arma, seque illis ducem præbuit. Coiere quicumque præsentem reip. statum fastidiebant, quorum ingens vulgo numerus est sub initium dominationis novæ. Illos etiam sibi arctius adjunxit filius perduellis, interceptâ pecuniâ non levi summâ, quam redemptor vestigialium ad fiscum ferebat; & in copias extemplo distributâ. Continuo Imperator conjuratos instructo sequitur agmine. Properantem objectus fluvius retardavit. Jam pars ejus exercitus transierat. In hanc omnibus copiis Princeps juvenis incurrit.

16.

Perduelles Imperator vincit militari stratagemate. Novum supplicii genus.

Actum erat de regio exercitu, nisi dux veteranus certum exitum militari dolo propulsaasset. Immittit in media conjuratorum agmina alios, atque alios subinde milites, qui per ordines perduellium sparsi renunciarent Imperatorem superato fluvio adeste cum omnibus copiis. Credita res, ac multo etiam magis, cum tubarum ac tympanorum dissonus canor intonuit, velut Imperatori præeuntium. Tum vero animis rebelles cadere, & circumspicere fugam: licet pavidos erigere Princeps adolescens, ac terrorem vanum discutere conaretur. Sed primarius centurio, arreptis ejus equi habentis, invitum retorfit, & fugere cum ceteris compulit. Jehanguirus tanto discrimine perfunctus, in omnes vias, portus & flumina confestim dimittit qui filio intercludant fugam. Monitus oræ maritimæ, per quam brevissimum, tutissimumque fugientibus patebat iter, præfectus removit à littoribus naviculas, præter unam. In hanc Princeps, equo citato suos antegressus, admittitur. Sed nautæ, ut erant jussi, vadis ratem illidunt, donec factus certior præfectus Principem exceptum amico vultu, deduxit domum, ubi juvenem incautum inclusit & paucos ipsius comites: nam ceteri, nulla reperta cymba, alio diffugerant. Non ita multo post adest ab Imperatore centurio cum vinculis, eaque se illi a patre ferre dixit. Sic vincum in urbem regiam deportavit. Procedentem filium pater manicis onustum & compedibus, amaro excepit risu, & sæva castigatum oratione, in turbam procerum, quæ circumstabat, rejecit. Simul venerant ductores duo præcipui copiarum perduellium, magnis antea functi muneribus. Utrique detrahi vestes imperavit, & hunc in bovis recens maciati; illum in asini pellem nudos insui. Mox vili jumento, versa ad caudam facie impositos, exstantibus, ut eminebant in corio, bubulis cornibus & auriculis asininis, per urbem circumduci; per quam modo superbis vesti elephantis, & auro gemmisque collucentes incesserant. Qua ignominia exanimatus unus, cum in carcerem reduceretur, concidit. Illi statim amputatum caput pendit in urbis porta: dissecta corporis membra, & per vias militares palis infixæ, spectaculo diu ac terrori fuerunt. Alter asinina in pelle gravissimum pertulit supplicium. Nam illa in dies magis exarescens ira constringebat miserum, ut vix animam duceret. Magni beneficii loco datum ut aquam molliendæ pelli affunderet. Sed hinc aliud malum. Nati ex humore putrido vermes vivum depascabantur. Tum fetor intolerabilis, corio sensim corrupto. Is tamen deprecatione procerum exiit infestam vestem, ac libertatem denique, & opes pristinas recepit. Cosrous in arcem inclusus superstes aliquandiu fuit. Ad extremum Chorum fratris, imperium inhiantis, scelere periit, injecto faucibus laqueo.

17.

Benedictus Goes ad Cataiam explorandam missus.

Ejus obitus tranquillitatem perturbatis rebus attulit, Jehanguiro gratissimam, nec religioni minus utilem. Imperator domestica cruditate clementiorem se Christianis præbuit; advenientes Societatis Patres aspexit benignius: domos quasdam à parente suo ipsis & Lahoriensi templo attributas, de quibus orta lis magna fuerat, ab iisdem optimo possessas jure declaravit. Nec parum ab ethnicis illum abalienavit sacrificuli scelus, inter falsorum Numinum cultores longe celeberrimi, & eorum velut antistitis, cujus consiliis filium ad perduellionem inductum fuisse rescivit. Antequam hujusmodi turbæ aula Mogolicam agitent, Akebaro adhuc superstite, F. Benedictus Goes longum iter susceperat ad Cataiam detegendam. Quæ fuerit ejus itineris occasio, quis ipse Goes, egregium inter Mogolicæ vineæ

neæ cultores nomen promeritus, operæ pretium est cognoscere. Lustanus erat, oriundus Villa-Francæ, oppido insulæ Sancti Michaelis. Placida litterarum otia in quibus pueritiam contriverat, perosus; ut erat acri & prompta indole, Martem relictis Musis secutus est, & inter milites qui transmittabant in Indiam nomen dedit, annos quinque admodum & viginti natus. Mores optimos militaris licentia brevi depravavit. Ruebat in exitium præceptis, eò infelicioꝝ quòd perire se non videbat. Oculos affusa lux divinitus aperuit. Sacellum Beatiss. Virginis in ora Travancoris ingressus, exstantem in ara ejus statuam intueri cœpit attentius. Subiit animum vitæ solutioris dolor: se, ac voraginem quòd præcipitabat, aspexit. Rursus defixis in infantem JESUM, quem complexa sinu mater gestabat, oculis, videre visus est collacrymantem. Evocat commilitones. Humi suppliciter abjecti prodigium conclamant. Classiariorum ac nautarum cohors accurrit. Manantem ex ocellis divini pueri pretiosum imbrem sudariis colligunt; deinde faustis vocibus & festo bombardarum plausu salutant Virginem, ejusque effigiem fertis ac ramalibus coronant.

Goes aliam exinde vitæ viam inire meditans, primùm animi maculas repurgat sacra confessione: divinam justitiam salutaribus poenis ultro susceptis placat; denique periculi quod adierat, & cujus vel ipsa recordatione cohorrescebat, memor, in tutum recipere se statuit, ac Societatem ingreditur. Oblatam litterarum studia prosequendi transacto tirocinio, & sacerdotalis dignitatis aliquando adipiscendæ facultatem constantissimè rejecit; vitam tanto indignam honore hætenus vixisse se dicitans. Neque vero hæc illi humilitas obfuit, quin egregiam servandis animabus operam navaret. Datus enim P. Hieronymo Xaverio ad Mogoles proficiscenti comes, Persico sermone haud segniter percepto, morum insigni urbanitate, nec non dexteritate ingenii, animos gentis mire sibi conciliavit: idoneumque Imperator judicavit, quem cum Soldano Hama legaret * Goam, de pace inter Mogoles & Lustanos faciendâ. Eas dotes cum in illo P. Nicolaus Pimenta Indiæ Visitator perspexisset, emanassetque per mercatores, ex ultima Sina recens Mogolis aulam ingressos, rumor de remota & hætenus ignota regione, quam Caraiam appellabant, & quam profitebantur naturali quadam humanitate, ad evangelii satus accipiendos optime esse præparatam; aptissimum Goem Pimenta censuit ad novam hanc gentem & regionem explorandam, ut Christianis postea institutis erudiretur. Ætas integra, quadragesimum annum, terens, firma valetudo, solertia, probitas, parem huic negotio & labori esse persuaserunt. Iter igitur capessivit ineunte anno millesimo sexcentesimo tertio, cum aggregata mercatorum manu, mercator ipse assumulatus, adscito nomine Abdalla, quæ vox mancipium Dei sonat.

Luctatus est anno toto cum inedia, cum siti, & prædonum vias infestantium insidiis. Anno demum vertente pervenit Hircandam, cum regina, quam ex Arabia & solenni ad sepulcrum Mahometis peregrinatione revertentem nactus, & per idem atque illa oppidum forte præteriens, aliqua cognitione divinæ legis imbuerat. Hæc Regem ipsi conciliavit, & aditum in aulam semper expedit: quo Dei famulus opportune usus est, ad Christi nomen Saracena inferendum, aulæ, ubi aut ignotum aut contemptum hætenus jacuerat. Unus è procerum curiosa gente, dum ejus sarcinas lustraret attentius, librum Evangeliorum, elegantè tectum, & Crucem exquisito laboratam opere deprehendit, ac Regi dilaudavit. Avidus videndi Rex Goem arcessit. Rogat quid isthuc libri sit, & locum aliquem ex eo legi petit. Goes evoluit librum, ac deosculatus imponit capiti: sic solent cum honorem rei cuiquam habere volunt. Casu, an de industria? in eum incidit locum, ubi Christi cœlos reperentis triumphus describitur. Hinc arrepta occasione disseruit pluribus verbis de mundi, primorum parentum vitio perditæ, clade; & parta per Christum salute; de judicio supremo; de Christianæ religionis excellentia, & necessitate. Stupebant attoniti circa Regem proceres, quibus fuerat hætenus persuasum, neminem unum in terris, qui modo saperet, posse Mahometanum non esse. At legis Mahometanæ doctores, eum ad infandam superstitionem adducere sæpius conati, ne, ut aiebant, vir tantus æternum

* Martio anni
1601,

Vide Kircherum
in China illustrata P. II. c. 3.
57.

num periret, cum nihil proficerent, ad illum maſtandum conſpirarunt. Nefarios improborum conatus fregit tum conſtantiâ, & animi excelſitate: tum verò auctoritate Regis, à quo ſeverè vetitum ne quis moleſtiam ipſi faceret. Ejuſdem beneficio aſſectus eſt ut reliquum iter conſciceret. Exteris enim, ac præſertim mercatoribus, aditus in Sinenſe regnum vulgò non patet, niſi per cauſam aliqujus legationis. Hanc dives aliquis inſitor aut dynaſtes inſtruit, ac mercatores adjungit ſibi, quaſi ſocios & aſſectas: eo nomine admittuntur. Sed magnis ſocietatem iſtam emunt muneribus, quorum pars optima derivatur ad regem Hircandæ, cujus eſt nominare legatum primarium, eique diploma legationis, & phaleras ementitæ atque empræ dignitatis tradere. Gori non erat ea munerum copia, ut inter legati aſſectas adſcriberetur. Regis igitur juſſu adſcriptus, diſceſſit XVIII. Kal. Decembres anni MDCIV. & poſt menſem decimum urbem amplam, in vicinia Sinarum, attingit, magnis ubique incommodis periculisque ſuperatis.

18.

Cataiam ipſum eſſe imperiũ Sinenſe comperit; in ejuſque limine moritur.

Ibi à Saracenis, recens digreſſis ex imperio Sinenſi, audivit Chriſtianos ſacerdotes ad Imperatoris aulam penetratſe, & opinione virtutis atque eruditionis ſtore: nec dubitavit illos ipſos eſſe Societatis noſtræ Patres Matthæum Riccium ejuſque ſocios, qui nondum iſtis mercatoribus ſatis cogniti eſſe poterant. Ea fama incenſus tardum agmen mercatorum, quibuſcum iter faciebat, ſtauit præcedere; ac regium diploma, quo viam tutiorem haberet, impetravit, ſimulque magnum religioni veræ honorem conciliavit. Rogatus enim quodnam ſuum nomen perſcribi vellet in diplomate, quod ipſi exarandum Rex curabar, ſe Chriſtianum, ac Domini JESU famulum, ſcribi voluit. Tum vero Mahometanæ ſectæ doctor ſenex, dereptum capitis tegmen humi deponens, En, exclamat, verum religionis ſuæ cuſtodem, qui hanc profiteri coram Rege nobiſque, non dubitet. Nemo noſtrum in Chriſtiano regno ſuam proſteri ſic auſit. Quo longius progrediebatur, eò fiebat certior Cataiam à Sinenſi regno haudquaquam eſſe, niſi ſolo nomine, diverſam. Dubitationem omnem ſuſtulit ingentis muri, quo Sina à Tartariſ diſcluduntur, aſpectus. Inceſſit illum cupido conveniendi P. Matthæum Riccium, de quo ſape multa inaudierat. Accepta igitur tranſmittendi muri venia per Sinenſis hujus provinciæ præfectum, attingit Sucheum, imperii Sinenſis urbem. Inde litteras ad P. Riccium dedit, quibus ipſi ſignificabat quanto verſaretur in periculo, inter Saracenos Chriſtianorum hoſtes immaniſſimos: ſibi eſſe deliberatum in Indiam redire mari Sinico: properaret ipſum de iſto lacu leonum educere, ulteriuſque pergendi facultatem ab aula Sinica obtineret. His auditis Riccius unum è noſtris, Joannem Fernandem, Sinenſem, continuo proſficiſci Sucheum jubet, quamvis aſpera ſaviret hyems, quæ illius adventum in quartum uſque menſem, & III. Kalendas Apriles anni MDCVII. diſtulit. Ea cunctatio ad ceteras adjuncta miſerias, Dei famulo vitæ ſinem attulit. Hunc ærumnis, & fame dudum extinguere Saraceni tentabant; venenum, ut fama eſt, addiderunt, quo languentem & pæne conſectum invenit Fernandes. Reſpiravit ad ejuſ conſpectum æger, & ſublatis in cælum oculis, in has erupit voces: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine*: nec ultra XI. ejuſdem menſis diem vixit. Demorui corpus ægrè à Saracenorum manibus vindicatum, & Chriſtiano, quantum licuit, more compoſitum fuit à Fernande, qui ob eam cauſam graviter cum iſſidem altercatus, & à Sinenſi præfecto quatuor menſes in carcere detentus eſt.

19.

Religio Chriſtiana in primaria Mogolum urbe palam ac ſplendide exercetur.

Inveteratum illud ac penitus inſitum in Saracenorum animis odium nominis Chriſtiani, quod in Benediſtum Goem tories expromperant, erat etiam in cauſa cur minor multo, quàm pro labore atque expectatione, fructus in Mogolis imperio colligeretur. Eò ſaviebant atrocius, quòd ab Imperatore non exaquare modo Chriſtianiſ videbantur, ſed etiam poſthaberi. Ejuſ patrocinio freti Patres conſueta Societatis noſtræ munia peragebant Lahoria, haud ſecus ac ſi media in Roma verſati eſſent. Feria ſexta majoris hebdomadæ proceſſit anno MDCVII. ſupplicantium Chriſtianorum agmen armatum ſtagellis, quibus humeros acriter cædebant: præibat agmini Crux: circum pueri pia carmina concinebant: inſidebat vicus populus ſtupore deſixus: nonnulli piè ac ſilentio ſequebantur. Mutatam

ram scenam festus resurgenti Christo dies obtulit. Coronatam floribus Crucem albatuſ grex, facibus accensis, perſtrepentibus liris, in ſacram ædem intulit. Non minore apparatu celebratæ fuerunt natalitiæ Christi Domini feriæ. Ornando altari cereas faces, & pictas elegantiffime tabulas Princeps miſit. Vicit noctem amoena lux tædarum, quibus omne templum ardebat, dum inter ſymphonicorum concentus ſuaviſſimos divinâ litabatur hoſtiâ. In ipſa vero urbe, ignium arte compoſitorum innocentes ludi lata populo ſpectacula præbuerunt. Pars pompæ prima & potior, Fidelium pietas fuit; quorum nemo naſcentem Christum purgati per delictorum confeſſionem pectoris hoſpitiſ non recepit.

Paulo ante natalem Christi diem, magnificam ad Proregem Indiæ legationem imperator adornaverat. Oratori ſuo comitem deſignavit unum è Patribus, quemcumque ipſi eligerent. Ivit Emmanuel Pinierus, & ad Socios Goanos munera detulit iis ab Imperatore miſſa; qui per idem tempus Agram proficiſcens comites ſibi duos pariter è noſtris ſumpſit, frementibus Saraceniſ; à quibus eò longius in dies recedebat, quò ſectæ profanæ vanitatem, & veritatem Chriſtianiæ legiſ clariuſ perſpiciebat. Nihil æquè profecit ad eum a Mahometaniſ ab alienandum, atque illorum in tuendis Alcorani legibus flagitiſa levitas. Cum indulgeret vino liberiuſ, & omnibus promiſcuè cibis uteretur, admoneri non ceſſabant præclari doctores, & clamitare aliter eſſe præſcriptum oraculiſ Alcorani: grande piaculum committi, quicumque ſecus faceret. Eorum declamationibus vexatus quaſiſvit num qua religio veniam daret utendi quolibet cibo & potu, ſine diſcrimine. Dari a Chriſtiana reſponderunt. Bene eſt, ſubjecit aridens, cenſeo Chriſtiani omnes ſimus, nuncium Alcorano remittamus. Exanimavit hæc oratio doctores timidoſ. Negarunt Alcorani præceptiſ teneri Principeſ: ſas illiſ arbitrato ſuo vivere & veſci. Riſit Jehanguiruſ inconstantiam turpi adulatione conjunctam, magiſtroſque, aula ac tempori male ſervienteſ, contempſit. Contra vero legiſ Chriſtianiæ piam auſeritatem imiſ pariter ac ſummis æquali jure propoſitam, vehementer laudavit.

Nec nihil ad confirmandam ejus præclaram de Chriſtianiſ Chriſtoque opinionem profuit mira ſimii cujuſdam ſagacitaſ, quam nonnulli aſſignarunt arti humanæ & indiſtriæ: alii, & quidem rectiuſ, uti videtur, diviniæ Providentiæ. Cum prædicaretur omnium ſermone hujus ſimii felix & inaudita ſolertia in divinando, & detegendis rebus occultiſ, juſſit Imperator in ſchediſ duodecim ſcribi nomina præcipuorum totidem legiſlatorum, Moysiſ, Chriſti, Mahometiſ, Brumæ, & aliorum quos India colit. Conjectiſ in urnam permiſtiſque ſchediſ datum eſt ſimio negotium ut ejus nomen educeret, cujuſ eſſet vera religio. Nihil cunctatuſ Chriſti nomen eduxit. Ne id quidem ſatiſ Imperatori viſum. Caſu factum credidit, aut ejus indiſtria, quo magiſtro & ductore ſimiuſ utebatur. Nomina iterum curavit perſcribenda, ſed occultiſ characteribuſ & arcaniſ notiſ, quibuſ ipſe mittenda legatiſ ſuiſ atque adminiſtriſ mandata exarabat. Non ſefellere ſimium inſoliti characteres. Numiniſ Chriſtianiſ nomen ruruſ extulit, ac deoſcularuſ eſt. Attonituſ cum Imperatore cœtuſ omniſ hæſit. At multo magiſ obſtupuit, cum Princepſ nomen Chriſti, clam exemptum urna, tradidit aulico, relictuſ undecim aliis; innuitque ſimio ut veri Dei & legiſlatoriſ iterum nomen promeret. Acceſſit, ac ſingula contemptim atreſtans, nullum deprompſit: ſed progreſſuſ ad aulicum, ſignatam nomine divino ſchedam illi extorſit. Clamorem tuſtulit Imperator, & multa de Chriſto perhonorificè locutuſ, adeſſe ſtudit deincepſ frequentiuſ variis, quaſ Patreſ inter & Mahometanoſ habebantur, concertationibuſ; in iſſque non tantum ſuſtinere perſonam teſtiſ, verum etiam actoriſ & propugnatoriſ, geſtiebat.

Descenderat aliquando in arenam acerrimuſ Mahometiſ deſenſor. Multis ultro citroque jaſtatiſ, poſtulavit ab eo Imperator, ut prophetam eſſe Mahometem doceret. Cum plurima inaniter, nihil ad rem & commode, reſponderet, unuſ quiſpam è proceribuſ qui adſtabant, miraculum ex eodem; opinor, Alcorani penu protulit: nempe, quòd Mahometeſ lunam è cœlo lapſam, & iſto caſu contractam, reſtituiſſet in integrum, duabuſ ejus partibuſ commiſiſ & coag-

20.
Simiuſ piè divi-
nans. Mahome-
tani reſutati.

mentatis. Tum vero Pater lunam dimidia terra multo majorem esse demonstravit, nec labi cœlo posse, nec lapsam esse aliquando, siquidem id nulla gentis ullius monumenta testabantur. Quæ cum Imperator libentissimè audiret, adversarios inficitæ convictos obticescere coegit.

21.
De Christi crucifixi cultu quid Imperatori responsum. Progressus Religionis & pericula.

Ventum deinde ad Christi divinitatem, de qua sic disputabat theologus, ut se tamen ad Principis captum demitteret. Occasionem disputandi præbuerat imago Christi è cruce pendentis, Imperatori à Patribus oblata: quam cum Saraceni detestarentur, quæsit Princeps, quid ita nos ei tantum honorem haberemus? cur Christum, si Deus esset, potius inter sicarios latronesque medium pingeremus; quàm cœlesti stipatum choro; in patibulo potius, quàm in solio? Cui Pater: Si quispiam istorum, inquit, procerum, quem amplissimis affectibus honoribus, & in altissimo collocasset dignitatis gradu, se, ut caput tuum leto imminente subduceret, objicere neci turpissimæ & acerbissimæ non dubitasset; eumne libentius iis, quos a te cepisset, fulgentem honoribus, quàm pro te morientem cerneret? Christus non ob suum scelus ullum passus est, sed nobis debitam omnibus suscepit in se pœnam, ut omnes liberaret. Hæc nobis placet caritas; hæc vindicis nostri assertorisque mors ab oculis mentibusque nostris abesse nunquam debet. Ea similitudine plurimum delectatus est Imperator. Fremebant Saraceni, & orationis molestissimæ tedium ulcisci Patrum nece meditabantur. Incanduit vehementius perditorum dolor, cum piis imaginibus regiam omnem ornari conspexere: nam imagines execrantur, id quod hauserunt à Judæis, Illas ipse Jehanguirus adeuntibus explicabat, nihil ut in aula, in regia urbe notius, quàm Christi vita morsque foret. Eadem sanctissima mysteria intexi jubebat aulais; & in prægrandibus smaragdis duobus, quibus ad obfignandas litteras utebatur, incidendas effigies Christi ac Deiparæ curavit. Miserat ad eum Roma P. Joannes Alvarez Assistens Lusitaniæ, ingentem tabulam, in qua tres Magi, sua Christo deferentes munera & obsequia, picti cernebantur. Hæc tabula nescio quo pacto prius in ejus manus, quam ad Patres, à quibus ipsi erat offerenda, venit. Illos accivit; &, quinam essent isti Reges, quid muneris, cui ferrent, audivit. Mox eadem omnia tam expeditè, tam accurate renarravit suis, ut commodius dicere Christianus nemo potuisset.

Quantum regius favor Mahometanorum audaciæ detrahebat, tantum Christianis addebat animorum. Unus ab hero Saraceno crudelem in modum cæcus tortusque, maluit exitio quovis interire, quàm Fidem ejurare. Alter in vincula publica ob delictum coniectus, & manu truncandus, oblatam libertatem, si Mahometi nomen daret, constantissime repudiavit. Quare, præcisa manu, coniectus in carcerem est, cum aliis quatuor ethnicis eodem affectis supplicio. Patres brachium manu spoliatum oleo ferventi mersere. Stetit sanguis, & facta sic vulneri medicina: quæ cum aliis adhiberi non potuisset, omnes postmodum sunt extincti. Eidem reddita paulo post, quamvis ægrè, libertas deprecatione Patris Hieronymi Xaverii. Adolescens captus à Turcis in ora Massiliensi, & ductus Rufucurum, quod recentiores Algerium dixerent, Mahometis in verba juraverat. Peragratis Europæ atque Asiæ variis partibus, venerat in Asiam, & Agræ condescenderat, cum uxore ac liberis. Ibi, propter eximiam in bellicis tormentis exercendâ artem, Imperatori carus & ad primos militiæ honores evectus, clarum inter Saracenos nomen gerebat. Ægrotanti divina lux oborta desiderium Christianæ religionis, in amplissimæ civitatis oculis profitendæ, injecit. Vocat P. Hieronymum Xaverium, pridem notum, eique variam vitæ suæ aleam exponit: nomen, patriam, religionem aperit. Confirmatus in suscepta divinitus mente, peccatorum confessionem explicat, a prima pueritia repetitam; & Ecclesiæ communioni restitutus piè decessit. Fidei pariter amplectendæ ingens desiderium præ se tulit Imperatoris legatus, Goam cum P. Emmanuele Piniero petiturus, ad firmandas & explicandas conditiones quasdam pacis, nuper constitutæ Mogoles inter ac Lusitanos. In itinere filiolum ejus gravis invaserat morbus. Acciti, medicis ægrum deponentibus, venefici & præstigiatores hoc unum profecerant ut morbus ingravesceret. Demum oratus Pinierus Crucem sacris ornata reliquit,

morientis oculis & capiti admovit : depulsa febris pristina valetudini locum dedit. Eodem paulo post remedio sanatus pueri parens & ingentes Piniero gratias egit ; & ut ab ipso Imperatore agerentur , fecit .

Lætus restituta sibi filioque sanitate, Goanum iter apparabat , cum Indiæ Prorex, obortis suspicionibus, omnem repente pacis mentionem respuit , indigneque palam bello prohibuit aditu legatum Imperatoris, & Mogolum fines populabundus incurfavit . Feralis belli rumor mercatores Lusitanos pariter atque ethnicos exterruit . Regium Goæ consilium inclamant, orantque rebus suis, si bellum fiat, perituris opem. Placuit igitur tentare vias redintegrandæ concordie . Hæc provincia datur P. Piniero, & amplissima potestas agendi cum Imperatore, & ejus legato. Difficillimum negotium, in quo religionis incolumitas agebatur, ita sapientibus consiliis administravit Pinierus, ut satisfaceret utrisque. Restituta prædæ ; promulgata pax : cujus publica monumenta , & Imperatoris litteras ac dona, sanctus regii legati munere Goam Pinierus pertulit .

Hoc periculum humana utcumque prudentia discussit : aliud non minoris molis divina Providentia depulit. Prorex, qui Lahoriam, imperii alteram civitatem regiam obtinebat, Saracenos palam turabatur . Sciscitatus aliquando quid de Christo Patres sentirent, cum Deum Deique vivi filium libere confessi essent, abruptis sermonem, Saracenorum qui aderant offensionem veritus. Cum pergerent nihilominus, ac fabulas Alcorani perspicuè refellerent ; amoveri è conspectu conviciis oneratos & maledictis jussit . Saraceni suam hanc rati occasionem, instant, & imposita Christianis crimina in jus deferunt : quod homines veneficii fascinatos in suum gregem compellerent ; patrarent nocturnas cædes ; diram ingluviem dapibus humanis explerent . Prorex in Patres, tanquam convictos, & copiam defensionis dari frustra postulantes, sententiam dicit, sumendumque de illis publicè supplicium, si post diem quintum in urbe consistant, pronunciat. Conscribitur præterea edictum atrox : ut Christi legem cives detestentur ; liberos impuberes Saracenorum sacris imbuendos tradant ; proterant vestigia peregrinæ religionis & aboleant. Impetus in aliquos è piorum grege factus : in eos tamen savitum non est, cum ultro deposcerent necem, & regia edicta demonstrarent, quibus potestas fcebat Christianæ legis amplexandæ. Alia igitur via rem aggressi, omisso nomine Christiano, tanquam sceleratos perdere & iniquis paulatim evertere judiciis constituunt . Funesta consilia Deus, suorum vindex, mirabili providentiæ cœlestis arte disjecit . Proregi hæc molienti supervenit trepidus ab exercitu filius ; nunciat instare hostes citatis agminibus : illapsos ex improvviso per montium fauces inobservatas ; vastatam subita incursione regionem. Prorex tristi nuncio exanimatus in viam se dat : civitatem suæ præfecturæ præcipuam ferro flammisque deletam deprehendit . Hac irritatus clade Imperator hominem, exprobrata negligentia, dignitate spoliatur, onustumque probris & vinculis in ergastuli tenebras conjicit. Reus vitam redemit iis muneribus, quæ à Mahometanis ut perderet Christianos, acceperat . Patres restituti pristinam in domum & libertatem : Christi cultores periculo & metu soluti sunt .

Sed nihil majorem aut Mahometanis luctum, aut læticiam Christianis attulit, quàm solennis trium è regia stirpe Principum baptismus . Sape Imperator ac splendide promiserat , interposito etiam per caput patris (quod erat illi multo gravissimum) jurejurando, se nomen Christo daturum. Promissa ducebat in longum, partim Christianæ legis sanctitate deterritus, partim metu ne quid importaret cladis ac tumultus mutatio religionis . Viam ergo paulatim sternendam, dicitabat, & illustra, quæ populum assuefaceret, exempla præmittenda. Tres adoptaverat fratris sui filios, lætissimos adolescentes. Evocato Patre Hieronymo Xaverio, Scis, inquit, religionem Christianam quanti semper fecerim ; & quæ dederim tibi promissa ; nunc illa præsentis pignore firmabo . Tibi hos Principes do, Christi lege instituendos & baptizandos. Gratias egit amplissimas Pater, & pristina beneficia hoc uno cumulari professus est. Ea res Mahometanos dolore, & ira inflammavit. Imperatorem multis verbis ab ejusmodi consilio detertere conati sunt. Quibus ille : Quid fiet igitur, cum me quoque Christianum India vi-

Nnn 2

debit ?

22.

P. Pinierus pacem inter Mogoles & Lusitanos componit.

23.

Tres regie stirpis Principes baptizati.

debit ? Cui proceres aliquot Christo & Patribus dediti ; Nihil restabit aliud, inquirunt, nisi ut ad Principis exemplum populus se componat.

Ubi regios adolescentes P. Franciscus Corfus diligenter eruditus, destinatus est illorum baptismo dies. Nullus Mogolum imperio pulchrior illuxit. Lufitani, Veneti, Poloni, Angli, Armenii, auro nitentes & purpura, primum ducebant agmen, omnes equis magnifice instratis vecti, Subibant pueri Principes in albis sedentes elephantis, Pendebat è collo singulis aurea Crux: circum plurima nobilitas, & lautâ famulorum caterva. Tota civitas obsidebat vias, aut spectabat è fenestris. Progressos eo comitatu ad sacram Societatis ardem P. Hieronymus Xaverius sacerdotali trabea indutus excepit, tubis organisque concinentibus, Datum sacris baptismi carimonis initium, respondentibus ipsis Principibus, tanto sensu pietatis, ut admirationem omnibus, lacrymas perlisque, elicerent. Peractis carimonis reversiones in aulam Imperator lætus vidit, & certa numerorum summa singulos, ut cujusque ætas erat, donavit: quam pueri Principes Christo JESU, grati animi monumentum, obtulerunt; eaque vicatim egentibus distributa continuo fuit, ut nulla pars civitatis foret, ad quam celeberrima Lucis lætitia non perveniret. Præclarum exemplum paucis post diebus alii proceres è regia familia eodem anno MDCX. suscepto similiter baptismo, sunt imitati. P. Franciscus Corfus statis diebus ibat in regiam, & mandatas puerilibus animis fruges colebat; brevi alioquin perituras eunuchorum & feminarum, inter quas versabantur, pravis sermonibus, pejoribus factis. Quæcumque illis Pater explicabat, repeti sibi ab iisdem jubebat Imperator: nec semel auditus est cum diceret, Christianos esse illos quidem lætor: magis lætabor, si veros ac germanos esse Christianos intelligam.

INFERA Mogolis imperium, si ad Austrum & Indi fluminis ostia descendas, occurret ad oram occidentalem Asiaticâ peninsulâ, è regione Arabiâ, Goanus ager. In eo præter ethnicos complures privatim baptizatos anno MDXCI. amplius septingenti publicè solenni ritu & pompa sacramento salutis & Fidei renati sunt. Adolescentem Indiâ Prorex de sacro fonte suscipere gravatus non est. Et erat cur hic honor illi præ ceteris haberetur. Ex quo civitas Goana Christianis Principibus paruit, lata lege vetitum fuerat ne quis ethnicus pingeret Cruces, quoniam illas ad ludibrium effingere consueverant. Adolescens pictoris locupletis & avita superstitione adhuc obstricti filius, cum statuisset Christo nomen dare, de quo inter se se differentes aequales suos non semel audierat (quippe ne templum cum ceteris pueris adiret, ab ethnico parente prohibebatur) deprehensus est cum domi Crucem depingeret. Ad judicem perductus; Crucem pingere, inquit, scelus non est; nam vos ipsi Crucem adoratis: interest nimirum quo animo id fiat: nec manum pictoris lata lex plectere voluit, sed mentem. Ego Christum & Crucem ante pectori, quàm tabulâ impressi: & utrumque palam colerem jamdiu, si pater sineret. Atqui, subjecit judex, hoc tui arbitrii penitus est: aude modo; licet, etiam invito patre. Trepidus nuncio excitatus adolescentis parens, raptum sibi filium, & per vim Christianis mancipatum sacris clamat; illum reddi sibi petit: & è vestigio ad Proregem advolat. Prorex adesse juvenem, ac sincerè, quid sentiat, quid velit, loqui jubet. Ego vero, ait ille, unum peto rogoque, Christianus ut sim: id me sponte meâ velle, nullius impulsu hortatuque, profiteor ac denuncio. Laudo, retulit Prorex, & gratulor: at pro meo tamen munere moneo, integram tibi rem adhuc esse: patrem sequi potes. Mihi vero, procumbens in genua cum lacrymis ait, mihi Christus pater deinde sit: totum illi me addixi, nec muto factum. Ruit in amplexum lætus Prorex; & Maeste, inquit, ista indole: Christum in cœlo patrem habebis; operam dabo ne patrem in terrâ, me vivo, desideres. Sic locutus, & ejulantem & multâ filio Christianisque mala imprecantem pueri parentem expulit; ac ipsâ melioris sanctiorisque patris, in ejusdem pueri baptismo, partes implevit.

Quam præclare ac verè cecinerit Psalter Regius, *Ex ore infantium perfecti laudem* *, nunquam alias certius, quàm per id tempus, comprobatur. Si quem nanciscerentur Goani Patres obstinatum in errore senem, si quam animum decre-

S. II.
SOCIETATIS LAR-
BORES & FRU-
CTUS IN ORA
MALABARICA.

24.
Fruges ex agro
Goano collectæ.

* Psalm. 8.

decrepitam, quibus aut discendi facultatem atas, aut voluntatem pertinacia eripisset, illis puerum apponebant, quo doctore brevi excitabatur memoria, pertinacia frangebatur. Si nihil hac arte proficerent, interdum edenda spectacula per pueros curabant, ac pia dramata: ut quæ aures prætervecta erant, in oculos incurrerent. Quin, ad refellendas Brachmanum (sunt Indici doctores) nugas ac fabulas, eadem spectacula mirificè valuerunt: cum in scenam inducti è pueris alii Brachmanum ridiculos errores exponerent populo avide spectanti, & risum non tenenti; alii eosdem lepide confutarent. In Salsetanis pagis, qui non absunt procul Goa, ubi è Sociis interfectos quinque per summam barbarorum perfidiam & impietatem anno MDLXXXIII. * annales nostri commemorant, exstiterunt pulcherrimæ fruges; nimirum pio sanguine irrigatæ. Templâ passim in honorem Deiparæ constructa, votisque indigenarum, concursu, donariis, atque adeo miraculis celebrata; quibus cultus in B. Virginem mirifice propagatus est, præsertim Racholi. Quo ex loco factum ut collegium Salsetidus, quod à Margano appellabatur, Racholense dici cœperit. Dum ædem Virgini Matri consecratam amplificavit fabri, tabulata male fulta, quibus erant impositi, ruinam traxerunt, ac triginta ex iis ad terram dejecere. Accurrit ad fragorem multitudo; dissipantur rudera, & congesti lapidum acervi; è quibus omnes ad unum illæsi & incolumes educti sunt. Neque minorem servandis animis, quam corporibus, curam Virgo parens adhibuit, ejusque ope unus è nostris sacerdotibus eodem anno MDXCI. totos novem pagos Christo adjunxit. Hinc facere de ceteris Evangelii cultoribus conjecturam licet.

* Lib. III. Par. V. num. 184. & seq.

Cum popularis serperet in agro Bazainensi lues, non aliud præsentius ethnicis remedium, quàm baptismus, fuit: ita ut legatione ad Patrem missa, communi unius pagi nomine, oraverint veniret, ac salutaribus aquis pagum omnem ablueret. In eo senex centum & viginti annos vivendo emensus, ad baptismum singulari Numinis beneficio reservatus videbatur. Quærentibus deinde quot vixisset annos, solebat respondere quod sacer codex de Saule scribit, *Filium senius anni esse* *. Vitam hanc nempe solam putans; quam Christianus vivere cœpisset. Templum est eodem in tractu Deiparæ sacrum, titulo *D. Mariæ Gratiarum*. Depositus a medicis ager, Christianæ religionis candidatus, eò se deportari iussit sacro tingendum fonte: tinctus est: sanatus est: domumque confestim pedibus insistens, adjuvante nullo, reversus. Mulier virum dira maceratum paralyti detulit in idem templum, & sanum retulit. Duo Lusitani pueri alter lingua captus, alter alio tentatus morbo; hic valetudinem, ille usuram linguæ ibidem recepit, *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis* *. Ignota pestis Cocinum, in eadem ora maritima, vexabat, agris biduo summos inter dolores morientibus: indicatâ supplicatione per collegii Cocinensis Socios, fugata penitus est. Mulieris linguam veneficus, ut credebatur, arcanis vinculis ita constrinxerat, vocem ut mittere non posset: vix aspersa lustrali aquâ fuit, *solutum est vinculum linguæ ejus* *. Aliam item magus diris devoverat, & inauditis quibusdam morbis ac malis tenebat oppressam. Illa magicas artes contrariis beneficiis, tanquam clavum clavo, depelli posse rata, magnos sumptus in præstigiatores fecerat. Tandem cum rei familiaris damnis nihilo commodior valetudo fieret, ad templum pergit. Sacerdos præscriptas ab Ecclesia preces recitavit: repente prædò Tartareus horribili clamore diffugit, & pristina valetudini mulier est restituta.

* I. Reg. 13.

* Marc. 16.

* Marc. 7.

Nata per id tempus Chaulenses scholæ feliciter adolecebant: dum Cocinenses antea constitutæ maturos fructus pergebant efferre. Collegii Cocinensis appendix quædam erat Seminarium Vaypicotianum. Ejus concinnitas, ordo, ac disciplina, tum autem modestia & eruditio alumnorum, omnibus admirationi, quibusdam etiam salutis fuerunt. Sanè adolescens ethnicus, cum singula diligentius considerasset, ultro sibi capillorum partem, & exstantes in vertice cincinnos abscidit, humique projectos consputavit. Eo maxime signo declarabant velle se nomen inter catechumenos profiteri. Ceterum huic Seminario nonnihil interdum creabatur molestiæ à Christianis, qui Sancto Thoma Apostolo, gentis primo doctore,

25.

Collegium Chaulense Vaypicotianum Seminarium.

doctore gloriantur; & Romanos ritus, antiquitate sua tumidi, & Nestorianis tunc imbuti erroribus, aliquando despiciebant. Itaque interponenda saepe regis Lusitania auctoritas fuit, & regii pratoris Hieronymi Mascarenia: cujus egregia pietas in eo potissimum laborabat, ut Evangelii praconum dignitatem tueretur: in qua videlicet plurimum sciret esse ad Christianum nomen ornandum amplificandumque momenti. Documento isthuc erit. Nair (ita nobiles hujus orae barbaros appellant) in reguli Vaypicotani aula spectatissimus, obvium sacerdotem contumeliosè laeserat. Mascarenia auctorem injuriæ ad poenam deposcit à regulo. Qui postquam vidit se nihil promissis precibusque proficere, demum satisfacit gentis more. Ita fert ibi consuetudo, ut qui capitalem inferendâ cuipiam injuriâ graviore poenam est commertus, redimere suum caput possit, oblato ei, quem laesit, elephante splendide instrato, veniâque offensæ in multorum conspectu petita. Progressus igitur cum universo comitatu regulus, perduxit reum Nairem in eum locum, ubi facta fuerat injuria; & inspectante populo, primum excusavit imprudentiam facti: mox, piaculi loco, ingentem belluam magnifico testamento ephippio, donavit nobili Lusitano, cui Mascarenia suam vicem demandarat. Hoc facto conciliatus religioni & ejus ministris honor; quem Porcani regis victoria, prodigii similis majorem in modum auxit.

26.
Regis Porcani
mira victoria.
Fides in ejus
regnum illata.

Porca urbs primaria est exigui hac in ora maritima regni. Ejus regi bellum inciderat cum vicinis aliquot regulis. Quorum armis ac potentia haudquaquam se parem intelligens, accessit Jacobum quemdam sacerdotem Porca oriundum, & in Vaypicotano Societatis Seminario institutum. Querit ex eo sintne vera quæ prædicari audierat de quibusdam Lusitanorum vexillis, quibus inesset ea vis ut, cum explicarentur in acie, hostes quamlibet multos aut sternerent exanimis, aut in fugam verterent. Sensit sacerdos quid sibi Rex vellet: ac de victoria, quam signo Crucis divinitus monstrato, retulit olim Constantinus, appositè disseruit. Quid si ego nunc quoque, subjecit regulus, simile præsidium usurpem? Bono esse illum animo sacerdos jubet: eundem, qui Constantino victoriam annuisset, Deum idem beneficium præstare nunc etiam posse, si pie sancteque, falsis Numinibus abjectis, coleretur. In me vero, subjecit Rex, nihil erit moræ. Simul Cruces è pretioso panno consecras, & ecclesiastico consecratis ritu, intexi regio vexillo iussit: alias deposuit certis in locis, præsertim in angustiis montium, per quas hostilis acies irrumpere poterat. Postridie conferitur pugna; obruantur hostium numero Porcani; jamque disjectis agminibus effundebantur in fugam, cum proferri, & ante primos ordines vexillum Cruce insignitum hostibus objici Rex imperat. Mirum dictu! conspecta Cruce, hostis primum defixus metu hærrere; mox projectis armis turpiter fugere. Collegit se tamen ex timore. Instauratur postridie pugna: concurritur paribus utrimque animis; hos pudor hesternæ cladis extimulat; illos successus & prior victoria, quæ omen alterius esse solet. Sed vix salutare vexillum emicuit; trepidat hostis iterum, fugit, cæditur. Repetita non semel exinde pugna pari exitu. Neque unquam hostibus in mentem venit illas tentare montium fauces, in quibus defixa Crux velut excubabat; & unde à lateribus tergoque Porcanum regem facillime poterant incurfare. Sic longo intervallo renovata, in ultimi Orientis finibus, victoria primi Christum in Occidente professi palam Imperatoris, *Dei manum abbreviatam non esse* * docuit, eandemque nunc vigere, quæ florebat olim in Ecclesia Romana, Fidem tantorum operum effectricem. Rex victor, Christum auctorem victoriæ, in ipso pugnae loco proclamavit. Fœdus cum Lusitanis, à quo vehementer hæcenus abhorruerat, pepigit, interprete ac sequestro P. Georgio Castrio: templa Christianis duobus centum templis attribuit: Cruces ubique depangi voluit, magno Mahometanorum & Judæorum, qui tractus istos celebrant, dolore. Hostes nequaquam se vera virtute victos prædicabant, sed præstigiis & incantatis quibusdam vexillis, unde splendor fulmineus emicans terrorem incusserat mentibus, palmam de manibus extorserat. Rex miraculi conscius, non menti solum Crucis imaginem veluti vivam ac spirantem impressit, crebrâ mysterii sanctissimi meditatione; sed inussit etiam

* *Iai. 59.*

etiã corpori: quo more apud barbaros inuri candenti quodam cinere lacertis, fronti, pectori, notæ quedam & characteres solent.

Exemplo tanto, ac mirabilis victoriæ fama, permotæ gentes vicinæ magnam ubique Cruci venerationem adhibuerunt; omnibus eam defixere locis; & insignibus donariis ornauerunt. Eorum vero impietatem, qui sacrum stipitem aliqua ratione violassent, Deus præsentis pœna castigavit. Itaque Chanæ, sive Cianæ (populi barbari nomen est in Comorino tractu) cum ædem sacram incendissent, & Crucem in frustra concidissent, ipsorum dux ac milites fermè ducenti, hoc sacrilegio inquinati, morbis omnes immanibus periere, cunctis exitii causam apertè agnoscentibus. Alii ex eadem gente nequaquam hac suorum miserabili strage deterriti, cum diram facris rebus ac profanis vastitatem inferrent, & oram Piscariam latrocinii ac cædibus haberent infestam, à Proregis Indiæ filio variis affecti sunt cladibus; eversumque delubrum, apud illos vetustissima superstitione celeberrimum, combusto idolo, & perempta vacca, quæ illis erat pro Numine. Iidem cum Manariam tentassent insulam, repulsi armis Lusitanorum ac fortitudine fuerunt. Victoriã hanc junctus prudenter virtuti dolus peperit. Est Manaria in angusto freto, quod oram Piscariam ab insula Ceylano dividit. Arcem habebat satis munitam, qua, tanquam freno, dynastia Ceylani a Lusitanis coercerentur. Inter eos dynastas non infimum obtinebat locum regulus Jafanapatani, quæ civitas est insulæ Ceylani. Lusitanorum ille arcem excindere statuit; iisque profligatis, Christianum in Manaria nomen delere.

Transactis in adornando belli, quod moliebatur, apparatu annis tribus, tandem improvisus erumpit; captato tempore quo, per causam annui margaritarum piscatus, fusi per maritimam oram Lusitani, vacuum fermè Manariam arcem & præsidio destitutam reliquerant. Adest cum instructissima classe, & magno militum numero. Descensione facta, in remotiorem ab arce locum partem copiarum exponit. Lusitani perpauci littus arci subiectum legebant in myoparone sub vesperam, aurâ frigidioris captandæ studio, nullo belli metu, ac ne suspitione quidem. Illos conspicatus hostis duas majores ex omni numero naves expedit, quæ myoparone abducant. Hostilibus telis eminus duo tresve Lusitani statim sternuntur: ceteri cum se ab utroque latere circumventos aspicerent, finire paulisper vim inimicam, & impari prælio subducere se conantur. Nocebat hostibus navium suarum altitudo, qua fiebat ut ipsorum tela in humiliorem cominus vibrata naviculam supervolarent innoxia, & in ipsorum socios, myoparone ex altero latere prementes, ictu certo perferrentur. Cum plures utrimque barbari mutuis ita vulneribus conciderent, nec segniter, ex inferiore licet loco, dimicarent Lusitani, ortus est clamor ingens, quo excitati qui tenebant arcem Lusitani, relictis intus aliquot ad eam tuendam militibus, prorumpunt: sed additur dolus, quem ingruentes tenebræ adjuverunt. Lixarum & calorum, qui erant in arce, gregem tympanis onerant, iisque perstreptibus ad littus feruntur: dum interim Patres in arcis facello precibus instabant: & quæ tempus poscebat, exquebantur. Exercitus maximi speciem tot tympana præbuerunt, quem imminere hostes rati, qui jam excenderant, trepide naves repetunt. Rex, ut suos diffugeret, instare Lusitanos per malignam diei dubiæ, jamque cedentis nocti, lucem conspexit; ubi tympanorum tota ripa resonantium strepitum hausit, ad classem recurrere, ac maturare fugam cœpit. Sed pleræque naves limosis infixæ vadis hærebant, recedente maris æstu. Hinc nautarum & militum consternatio, ac fœda passim clades: aliis temere in obvias naves ruentibus, aliis in mare præcipitantibus, multis ferro cæsis per rusticos è pago vicino, & milites reliquos ex arce progressos. Naves decem & septem in Lusitanorum potestatem venerunt: Rex cum reliquis ægrè dilapsus, Ceylanum repetiit.

Zamorinus, Calecuti Rex, Indici in ora Malabarica regulis longè præstabat. Inter ejus copiarum ductores Maurus impiger tantum gloriæ militaris, tantum auctoritatis apud milites collegerat, ut suspicionem Regi ac metum incuteret. Sensit perfidus & periculum quod imminere sibi cernebat, antevertendum ratus, palam a Rege defecit. Zamorinus egit cum Lusitanis, ut secum fœdus

27.
Religionis hostes variis cladibus affecti.

28.
Fœdus religioni utile cum Rege Calecuti factum. Domus data Societati.

&

& arma jungerent ad perduellem debellandum. Annuit Indiæ Prorex, ea præfertim conditione, ut Patres Societatis Zamorinus acciperet: quod continuo præstitit. Erecta Crux ingens; ad eam fœdus ictum; locus in urbe regia templo ædificando electus. Rex ipse fundamenta aperuit egesta humo, quem nobilitas certatim est imitata. Multi è populo divinam statim legem sunt amplexi. Perduellis Maurus brevi Lusitanorum ope fusus fugatusque est.

At Mahometani, qui plurimum in Zamorini regno poterant, odio Christiani nominis inflammati, archipiratam insignem, cui nomen Cunali, oræ maritimæ ab aliquot annis infestum, excitant ad bellum inferendum Regi. Lusitanos vexant indignis modis, Zamorino dissimulante multa, ne gentem impiam irritaret. Questi cum Rege sapius, at frustra, Lusitani eò demum compulsi sunt ut illi amicitiam ac fœdus renunciarent. Auctores iidem Paribus fuere ut migrarent Calecuti, ne quid gravius in eos Mahometanorum furor confuleret. Qua nocte Socii digressi sunt, Zamorini nepos ab iis baptizatus est, ingens Christianæ Fidei ornamentum ac præsidium: ipse Rex, frustra illos retinere conatus, ædem sacram & suppellectilem servari diligenter iussit; ac Saracenus Crucem ferro violare ausus, capite scelus luit. Reductis anno MDXCVIII. ad pristinam concordiam animis, pax in certas leges convenit; è quibus multa Christianæ religioni perhonorificæ fuerunt. Licere voluit Zamorinus suis omnibus nomen Christo dare: id qui fecissent, ethnici aut Mahometani, eos pristinis in republica muneribus, & quolibet alio communi cum ceteris jure gaudere iussit. Demum sanctè promissæ daturum se operam ut Christianis Thomæis, quorum plerique Calecuti finès incolunt, nullus antistes imponeretur, nisi à Pontifice Romano missus. Quod permagni ad religionem momenti erat.

His ita constitutis, reversa Calecutum est Societas. Nondum tamen redierat necessaria ejus ministeriis tranquillitas, flagrans bello inter Zamorinum & Cunalem archipiratam. Ille arcem maritimam occupaverat. Ad eam expugnandum Ludovicus Gama Lusitanæ classis præfectus exercitum admovit, Zamorini rogatu, ac ducto è triginta scaphis ponte, per fluvium arcis proximum transfudit partem copiarum fortissimam: alterâ trans flumen relicta, & subsidio futura, ubi res posceret. Sub quartam noctis vigiliam, signum oppugnandæ arcis datum. Lusitani per tela, per medios ignes ruebant: sequebantur duo è Societate ad ferendam opem cadentibus. Jam tenebant arcis portam, hostium acie, quorum trecenti primo impetu cæsi erant, perrupta; cum Christiani ductor agminis Ludovicus à Silva sternitur. Id quantum animis detraxit Lusitanis, tantum Mahometanis addidit. Crudefecit pugna; hostis in munimenta compellitur: at ne penitus debellaretur, utque clades etiam non levis acciperetur, fecit nox, & eorum incuria, quibus commissa pontis custodia fuerat. Lusitanos nitratus pulvis glandesque plumbeæ defecerant. Receptui canendum fuit. Navigia dissoluta, pons nullus apparuit. Miles in flumen & naviculas forte oblatas se conficit, hoste persequente: multoque plures in hac tumultuaria & nocturna fuga desiderati sunt, quam in ipso certamine. Uni è nostris, dum scapham molitur in ripa, brachium plumbea glande contractum est; reliqui trans flumen vecti, cadavera militum in littus ejecta, humo contexerunt. Inclinatam ista clade rem Christianam & Lusitanam, crexit altero post anno, partâ insigni de perduellis victoria, Andreas Furtadus de Mendoza. Ejus virtute fractus rebellium dux, & furore amens, erumpere cum suis, & in confertos hostes, instar belluæ in adversa tela procurrentis, ruere gestiebat. Mauri quantulumcumque salutis spem certo exitio præferentes, detrectant furiosum certamen; imò binos centuriones ad Mendozam allegant, peritum quas conditiones pacis velit. Nullas, inquit Mendozæ arbitrium victoris esto. Ad regem remissi, eadem audiunt. Igitur clementiam implorare supplices, seque totos illi permittere. Cunalem placavit fanaticus nefcio quis, è Brachmanum grege, multis super illum humi provolutum carminibus recitatis, affirmans nequaquam occidendum, ridiculus vates; utque se unâ cum suis dederet, persuasit.

Arx dedita in hunc modum fuit XVII. Kal. April. MDC. Eam undique cincerunt Lusitanorum, & Zamorini copiae: angusta inter utraque patebat semita. Per hanc educti primo sunt multi morbis aut vulneribus debilitati; tum milites exuti armis: ultimo loco subibat medius inter aliquot centuriones Cunalis, aurea veste tectus, nudum enses gestans, sed verso in terram mucrone; dolorem & metum vultu sereno regens. Gladium illi detrahi Zamorinus iussit, innuitque Lusitanis ut eum comprehenderent & alios quadraginta Mauros. Tum Mendoza Regis amplexus manum, hunc in arcem induxit; eam, & quidquid intus praeda repertum, Lusitani regis nomine ipsi tradidit, fidem ejus & fortitudinem prædicans: tormentorum bellicorum dimidiam partem, ut pacti prius erant, abstulit. Valuit mirificè hoc liberalis animi specimen ad conciliandam totius gentis benevolentiam, evellendamque opinionem, quæ barbaris infederat, Lusitanos abuti religione ad aliena regna per vim & nefas occupanda. Eluxit etiam Mendozæ pietas, qui postis humi genibus gratias Deo armorum potenti debitas palam egit, ac Virgini Deiparæ, cujus in sodalizio Goano locum principem obtinebat. Fœdus deinde inter utramque gentem sancitum, & exaratum in aurea lamina.

Cunalis spectaculo & ludibrio diu fuit, victus, inermis, abjectus; ignominia tanto majore, quanto fuerat antea pejus latiusque notus. Nam vicini maris imperium quoddam adeptus, & regium sibi nomen arrogans, durissimam tyrannidem in mercatores exercebat, qui absque illius nutu & commendatitiis litteris committere se mari non audebant. Lusitanorum vero, qui ejus arcem ante biennium obsessam irritò incepto deseruerant, discessus tantos illi animos addiderat, ut laureas litteras, cum legatis, ad Reges omnes & Principes Mahometanos ipsamque Turcarum imperatorem miserit, extinctum à se Lusitanum in India nomen jactans. Abductus Goam, & in impietate obfirmatus meritis, capite truncato, pœnas dedit. Vitam feliciori clausurunt sine aliquot ejus comites, a Patribus Societatis instituti; & baptismo, priusquam supplicium de illis sumeretur, expiati. Venit ad profitendum apud Indiæ Proregem fœdus Caralis, Zamorini nepos, qui ante paucos menses ad Fidem catholicam opera nostrorum accesserat; & in ea mirè confirmatus est, conspecta Christianorum pietate, ac sacrarum majestatem carimoniarum, quæ divina mysteria ipsis quodammodo sensibus ingerunt, Deumque verum Christianæ religionis esse auctorem facile persuadent.

At Calcuti reddita quies & docendi potestas liberrima Patribus. Toti erant in perdiscendis sectarum Malabaricarum arcanis: quarum ineptias ita callebat P. Jacobus Fenicius, ut illas mediis in compitis refelleret, stupente populo, & Brachmanis pudorem inficitiamque silentio fatentibus. Persuasum illis erat mundum ex ovo natum, quod cum bifariam casu divisum fuisset, ex altera parte Orbem terrarum; ex altera cœlum ac sidera coaluisse. Quærente P. Fenicio quænam gallina ovum illud admirabile peperisset, hærebant; & hunc nodum explicare Malabarica philosophia non poterat. Simillima erant illorum effata de religione. Sed nullo contra doctores imperitos telo feliciter pugnabatur, quam Deorum, quos colebant, flagitiis demonstrandis, iisque opponenda Christianæ legis sanctitate. His argumentis aliud accessit domesticum & proprium. Invenit P. Fenicius præfati poetæ Malabarici carmina perverusta, quibus refellebatur falsorum cultus Numinum; Dei verò providentia, justitia, fines bonorum & malorum, astruebantur; ut eum poetam, si non Christianum, certe veri Numinis cognitione imbutum fuisse appareret; quam cognitionem mortalium incuria, & scelerum macula in posterorum animis delevisset. Horum carminum exempla multa descripsit, ac mirantibus oggessit. Regina cum filio Principe Brachmanum fabulas exosa, divinæ religionis vetustatem agnovit. Haud ita multo post gravis inter Zamorinum & Regem Cranganoris orta est discordia. Res ad bellum spectabat. Rogatus P. Fenicius, pacem summa utriusque voluntate composuit. Quatuor menses in hoc negotio consumpti, per quos Thomæorum Christianorum sacras aedes lustravit. Unam vexabat regulus, ac tributum nescio quod à parochia exigebat: sed Zamorini, cujus erat cliens, auctoritate interposita, quievit. Ferebatur hæc aedes Malabaricarum antiquissima. Christianis, quorum numerus valde accreverat, capi-

36.
Archipirata,
Christianorum
hostis captus &
supplicio affe-
ctus.

30.
Sociorum dili-
gentia in refel-
lendis Malaba-
rum erroribus.

piendis imparem laxavit Pater, & lapideam è lignea construendam curavit. Conveniebant ipsimet in eam Saraceni & Judæi, non tantum spectandi studio, sed etiam votorum causa: quorum se reos sæpe fatebantur. Pulsi pariter ex occupatis corporibus nefarii spiritus, recitato Evangelio, & sanati morbi magnum religioni decus addiderunt. Quibus rebus adductus Zamorinus, quatuor ædes sacras condendi facultatem concessit, Fidem vero erga Lusitanos & amicitiam ut sanctè coleret, Patres impensè laborarunt. Itaque constantissimè repudiavit munera Saracenorum, qui arcem Cunalis æquatam solo instaurare moliebantur. Cumque nepos ejusdem Cunalis id anno MDCVI, tentaret, capite plexus est. Per hanc cum rege Calecutano pacem magna Goano Archiepiscopo data est opportunitas idonei præfulis, a Romano Pontifice approbati, Thomæ præficiendi, quemadmodum inter Lusitanos & Zamorinum convenerat; totamque gentem a catholicis aberrantem institutis, ad pristinam Fidei integritatem revocandi. Res est majoris momenti, quàm ut strictim attingatur; & lucem necessariam afferet Synodo Diamperensi, cujus Acta nuper* edita sunt.

*Tom. XV. Conc. necessitate edit. P. P. Cossart. & Labbei.

S. III.
THOMÆORUM
ECCLESIA LIBE-
RATA SUI ER-
RORIBUS.

*Baronius Tom. V. ad an. 435. & Tom. VI. ad ann. 436.

31.
Quo pacto Nestorii errores ad Ecclesiam Thomæorum per-
manerint.

ECCLESIAM Thomæorum post Apostolum Thomam catholici præfules diu gubernarunt. Iis postea per ethnicos Principes, qui regionem armis domuerant, morte aut exilio multatis, catholicus grex diu pastoribus viduatus mansit, ac demum antistites ex Asia vicina & Babylone accessit. Exortus per ea tempora Nestorius, Patriarcha Constantinopolitanus, errorem longè lateque sparsit. Ac licet in Concilio Ephesino fuisset condemnatus, ejus tamen libri, aliorumque eadem infectorum labe, in Armeniam & Persicam conversi linguam, virus in Syriam, Persidem, finitimisque populos invexerunt*. Erroris patrocinium suscipere præ ceteris Babyloni præfules; & ab Ecclesia Romana divulsi, Patriarcharum sibi nomen arrogarunt. Ea ratione manavit pestis ad Thomæos, & Nestoriana impietas in locum catholica doctrinæ, quam ab Apostolo Thoma primum hauserant, est suffecta. Tales illos nacti Lusitani, quando in Indiam primum appulerunt, cumque Lusitanis adveffi Franciscani, abhibere curam ad eos errore liberandos; erecto præsertim in urbe Cranganore circa annum MDXLVI. Seminario. Sed Nestoriani Episcopi nullam institutis in Seminario sacerdotibus faciebant dicendi ad populum, & sacramenta ministrandi potestatem. Tunc plerique ex illis Seminarii alumnis Chaldaicam, & Syram ignorabant linguam, quæ Thomæis usitata in sacris precibus & mysteriis. Huic ut mederentur incommodo Patres Societatis, collegium in urbe Vaypicota, non procul Cranganore, condiderunt eo præsertim consilio, ut in illo erudirentur adolescentes indigenæ, ac præter disciplinas catholico sacerdoti necessarias, Latinamque linguam, Chaldaicam quoque & Syram docerentur. Negotium iisdem nihilominus facessere pergebat Thomæorum præful, in errore pertinax. Illi Mar-Josepho nomen. Particulam *Mar* nominibus præfigunt, notam dignitatis; quo more Hispani *Don*, seu *domnum* usurpant. Is ergo Mar-Joseph, a Mar-Audixo Patriarcha, ut appellabant, Babylonio Thomæis datus, comiter admonitus à Lusitanis, ut emendaret ea quæ discrepabant a Romano ritu, multa sane haud invito correxit. Nestorianum tamen fovebat errorem: id quod hoc pacto deprehensum est. Lusitanorum aliquot liberos erudiebat. Incidit sermo de B. Virgine. Hanc vero ut colerent hortatus est, mortalium patronam apud Deum longe potentissimam; sed Cavete, inquit, ne Dei matrem illam compelletis, quæ Christi, non item Dei, mater est. Itaque pro consuetis in Angelica salutatione recitanda vocibus, *sancta Maria mater Dei*, illas substituebat, *sancta Maria mater Christi*. Mirati novitatem pueri, Cocinensi Episcopo indicarunt: qui, communicatis cum Archiepiscopo Goano & Indiæ Prorege consiliis, dedit operam ut comprehensus Cocini Mar-Joseph Goam duceretur, unde Romam peteret Fidei suæ rationem Summo Pontifici redditurus. Olisippone delatus insinuavit se in Regina Catharinæ gratiam, quæ Lusitaniam administrabat, Sebastiano rege nondum per ætatem tractandis regni habenis maturo. Ita ferme accidit ut isti veteratores ementitæ pietatis opinione fucum facillime faciant, & per nomen ac simulationem iniquæ vexationis, ea consequantur à Principibus, quæ veritatis defensores vix obtineant.

neant. Remisit Mar-Josephum in Indiam Regina, cum amplissimis litteris: ac, ne quid illi exhiberetur à Prorege vel Archiepiscopo molestia, vetuit. Fidem ejus & doctrinam ab Henrico Cardinali, supremo sacre Inquisitionis præside, & Legato à Latere, fuisse approbatam affirmans.

Interim Thomæi, desperato sui præsulis Mar-Josephi reditu, miserunt certos clam Babylonem, qui alium inde antistitem arcesserent. Extemplo adfuit Mar-Abrahamus, à Patriarcha Babylonio delectus; & summo gentis consensu acceptus obire cuncta Episcopi munia occæpit. Ecce tibi autem redux è Lusitania Mar-Josephus, occupatam a Mar-Abrahamo sedem suam queritur. Ergo injiciuntur Mar-Abrahamo, ut injusto possessori, manus, Romamque deportatur: ubi fidem orthodoxam professus coram Pio IV. & multa splendide pollicitus, ad suos Thomæos reverti parat. Interim Mar-Josephus, æmulo dejecto, pace insidiosa, utebatur ad errores fidentius propagandos. Certior ea de re factus Pontifex Pius V. inquiri diligenter, & hominem ad se mitti jubet. Mittitur Romam, ibique moritur. Vacuam ejus obitu sedem nactus Mar-Abraham, Thomæorum studio & excubiis munitus, comprehendi nunquam potuit. Catholicum se ferebat palam & addidit Lusitanis: Nestorium & pestifera dogmata furtim disseminabat. Quod cum faceret cautè, aliquandiu latuit. Detectus ad extremum, & à Gregorio XIII. graviter incusatus est, ac jussus provincialibus Conciliis, quæ Goæ haberentur, deinceps interesse.

Postquam audivit Babylonius pseudo-patriarcha Mar-Abrahamum Goano Concilio interfuisse, Mar-Simeonem, qui Nestorii partes melius tueretur, illi subrogavit. Simeon regularum aliquot auxilio subnixus, in Mar-Abrahamum contortit censurarum fulmina, & miserum gregem in partes discidit. Incendium priore luctuosius extinguere Lusitani studuerunt, eoque Mar-Simeonem demum perduxere, ut Romam iret ad Pontificem Maximum. Speravit ille Summorum Pontificum benignitate fretus, & Sixtum V. ignorans, fore ut causam facilius in Europa, quàm in Asia, vinceret. At Sixtus hominem excusum deprehendit germanum esse Nestorianum, imo ne sacris quidem initiatum Ordinibus. Itaque remotus ab omni officio sacerdotali scophanta in cœnobio Franciscanorum Olistipone consenuit. Elatus adversarii calamitate Mar-Abrahamus auctoritatem Pontificis palam despexit; vocatusque ad quartum Concilium provinciale Goanum, anno MDXC. venturum se negavit. Nec se tamen Angamalâ commovebat, veritus Lusitanorum insidias, & suorum conspiratione defensus. Hic infandam sacramentorum nundinationem exercens, errorum veneno totam regionem inficiebat.

Certior de his factus per Socios Indicos Aquaviva Clementem VIII. admonuit. Qui hæc flagitia diutius toleranda non existimans scripsit anno MDXCV. ad Goanum Archiepiscopum Alexium Menesium, ut dolosum senem vinculis traderet; ac neminem, nisi Latinum præulem, ejus in locum subrogari pateretur. Cum intelligeret Menesius detrahi veteratorem non posse Angamalâ, quo in oppido Episcopi Thomæorum degebant, & ubi nihil juris erat Lusitanis; videtque ita senio gravatum, ut è lectulo nusquam proreperet; hoc unum omni ope providendum judicavit, ne quis illi successor Babylone mitteretur: quod jam Thomæi tacitis inter se consiliis agitabant: & nonnulli fuere deprehensi, quos cognito Mar-Abrahami senio morboque, Babylonius pseudopatriarcha creaverat Archiepiscopos Angamalenses. Ad ipsum Mar-Abrahamum quod attinet, constat è nostris monumentis vocatum ab illo, prius quam cederet è vita, collegii Vaypicotani rectorem P. Georgium Craftum. Qui cum adesset, simulque Archidiaconus & primores Thomæi, declaravit velle se ac jubere ut omnes Romanam Ecclesiam agnoscerent matrem aliarum omnium ac magistram; ut Pontificem Maximum colerent, tanquam supremum pastorem, patrem ac dominum, unde reliquorum pastorum potestas derivata suerit. Laudavit Patrum operam in erudiendo populo, ab iisque veram & Apostolicam Fidem doceri professus, præcepit suis ut ipsos audire pergerent. Ea omnia sanctè contestatus publicis tabulis consignari jussit, ut manerent ad posterorum memoriam; & in hæc verba se scripsisse ad Clementem VIII. affirmavit. Quæ quidem ita gesta esse Societatis

32.
Mar-Abrahamus, Thomæorum præsul Nestorianus.

sacerdos, qui aderat, prodidit: cujus potior est apud nos auctoritas, quam aliorum, qui aliter eadem, tantum audita, narraverunt.

Extincto Mar-Abrahamo, & accessu prohibitis qui fuerant illi a Patriarcha Babylonio subrogati, Goanus Archiepiscopus Ecclesiam Thomæorum P. Franciscio Rozo, quem Vicarium Apostolicum, annuente Summo Pontifice, renunciat, administrandam demandavit. Chaldaicæ linguæ ac Malabaricæ peritus, non solum gentis mores & instituta longo usu cognoverat, sed animos etiam sibi probitate ac sapientia devinerat. Nihilominus timuit ne satis obsequentes Thomæos non haberet; quippe nondum sacramento Romani Pontificis adactos, & præterea commendatos à moriente Mar-Abrahamo Georgii Archidiaconi curæ, qui jam eorum regimen, gentis more, susceperat, donec antistes crearetur. His maturè pensatis, præstabilius Alexio Menesio visum est, Ecclesiæ hujus administrationem eidem Archidiacono permittere, ne populus à Romano Pontifice abalienatus, nova moliretur dissidia, & æterno schismate scinderetur. Sed ut Archidiaconi auctoritas injecto veluti freno, si quid perperam tentaret, coerceretur; duos illi Menesius addidit Ecclesiæ Latinæ sacerdotes, velut honoris & consilii causa; videlicet eundem P. Franc. Rozum, & collegii Vaypicotani rectorem. Illos repudiavit ferociter Archidiaconus: quin, monitus ab Archiepiscopo Goano ut Fidei professionem à Concilio Tridentino præscriptam ederet apud eundem collegii Vaypicotani rectorem, idque publice in templo, disulit aliquandiu; nempe antistitem Babylone mittendum expectans: postremò negavit se facturum, palam prædicans jus nullum esse Romanæ Ecclesiæ vel antistiti Goano in Ecclesiam Thomæorum. Eadem in verba sacerdotes suos jurare cum populo iussit: simul templis Patres Societatis, & Latinos sacerdotes exclusit.

Ea Goam perlata summo dolore Goanum Archiepiscopum affecerunt. Statuit ipse Thomæos adire, & in mediam tanti discriminis flammam se conjicere. Non illum Proregis, non amicorum preces retardare valuerunt. Terruit Archidiaconum invicti præfulis fortitudo & constantia, cum per invia & inaccessa tendentem ad se loca vidit, nomine Lusitano, majestate pontificia, & Superis auctoribus armatum. Ergo mollius agere, ac discurrere nequaquam recusare se quominus Fidei professionem edat; modo ne apud Patres Societatis JESU illam edere cogatur: iis unice nimirum infensus, quia Chaldaicæ periti linguæ, gentis hæreses coarguebant ex ipsis Thomæorum libris: ac rudes puerorum annos ad Ecclesiæ Romanæ formabant obsequium. Itaque cum per eos dies adolescens è collegio Vaypicotano profectus in patriam Caturten, ibique, dum publicis precibus interest, orationem recitare iussus; in ea, pseudopatriarchæ Babyloni nomine præterito, Summum Pontificem, quemadmodum Patres docuerant, appellasset; colaphis & calcibus contusus, ejectusque templo fuerat; probante Archidiacono, & sacerdotes impios, quasi prisca instituta retinerent, collaudante.

Id quamvis ægerimè tulerit Archiepiscopus Goanus, ut omnes tamen conquerendi ansas illi demeret, negotium Franciscano dedit, viro eximia virtutis ac prudentiæ, ut professionem Fidei ab Archidiacono publice pronunciantem acciperet, & ad se munitam ipsius chirographo mitteret. Edidit hanc ille quidem, sed privatim, neque iis conceptam vocibus, quas Pii IV. Bulla præscribit; nulla Nestorii, nulla Ecclesiæ Romanæ facta mentione. Monitus à Franciscano, ut è præscripta formula & publicè Fidem catholicam profiteretur, contulit se in templum, quò magnus populi & sacerdotum, aditu Patribus Societatis intercluso, numerus confluxerat. Tunc scriptam Lusitano sermone, cujus erat planè ignarus, Fidei professionem audivit, seque iis omnibus quæ recitata fuerant, assentiri dixit; deinde cum amicis de fabula bellè peracta jocus est.

Tam insigni ludibrio stimulatus Menesius, iter exeunte anno MDXCVIII. institutum celeravit, Cocinum delatus, vocat Archidiaconum. Venit ille, sed armatorum agmine stipatus: quorum aliqui unà cum ipso ad Archiepiscopum admissi, strictis ensibus adstiterunt. Præsul sapientissimus suscepit partes lenitatis, ad quas erat sponte propensus, quasque ipsa res & præsens periculum suadebat. De illo armorum apparatu blande conquestus, significavit eo se consilio accessisse,

33.
Goanus Archiepiscopus diæcesim Thomæorum iustrat, adhibitis Patribus Societatis.

diocesim ut lustraret: initium se à Vaypicorano collegio facturum. Exceptus à Patribus eo, quem postulabat ipsius dignitas, honore; mox à studiosa juventute lingua Chaldaica, Syra, & Malabarica salutatus, contendit in sacram ædem; & ad frequentem populum plena gravitatis & ardoris oratione de Nestorio disse-ruit, concione satis pacata. Postridie in urbis templo interfuit rei divinæ, publicisque precibus. Verum animadvertens in illis honoris causa nominari pseudopatriarcham Babylonium, & vocitari universalem Ecclesiæ catholicæ pastorem, exarsit sancta quadam iracundia; nec ita multo post arcessitis collegii Patribus, alumnis Seminarii, Archidiacono ejusque sacerdotibus, pauca præfatus de obedientia Romanæ Sedi & Vicario Christi debita; deprompsit è sinu, & recitari alta voce jussit excommunicationem latæ sententiæ in eos, quicumque Babylonium Patriarcham appellarent Oecumenicum Ecclesiæ pastorem, aut pro eo in re divina facienda preces funderent, quem hæreticum Nestorianum, schismaticum, & apiorum communionem seclusum esse constaret. Sub hæc minaci voce ad Archidiaconum conversus, imperat ut sententiam nomine suo apposito suffragioque confirmet. Deprehensus medios inter Lusitanos Archidiaconus, qui necdum larvam exuere decreverat, subscribit suum nomen, & chirographum schedæ apponit; idem sacerdotes ejus præstant. Domum reversos Thomæ civitatis principes trepide conveniunt. Concurrit lymphata plebs; maledictis in Archiepiscopum & conviciis indignissime bacchatur: venisse, ut S. Thomæ legem evertat; ut invidia stimulante, Babylonios præfules possessione moveat, quam à mille & ducentis obtinebant annis. Conclamantes ad arma sedavit Archidiaconus, monens dissimulandum, ut in urbe Lusitanis amica: se manu sententiam Archiepiscopi approbasse, non animo: starent in veteribus institutis, & inanes invidi antistitis & imperiosi minas contemnerent. Suadebant Menesio Lusitani, ut Cocinum profugeret. Remansit metu & periculo major; ac vicinum in oppidum, velut illud ex itinere lustraturus, perrexit. Prægressa fama cives armaverat. Nemo processit obviam: pauci sacerdotes, truci vultu, silentes mœstique præfulem in templum deduxere. Hic arcus, jacula, gladii; ut in acie. Aspectu dirò paulum conturbatus partem familiæ remittit ad naves, ne imparatæ occuparentur: ipse cum binis duntaxat sacerdotibus, & Patribus Societatis, qui ab ejus latere non discedebant, procedit media inter arma; induit sacros amictus Pontificum; & dignitate fretus, attonitos miraculo fiduciæ compellat, ac docet multa quæ ad refellendos eorum errores pertinebant.

Cum audiri se iniquissimis animis auribusque cerneret, assurgit, & pastoralis pedo nitens, Hæc illa est, inquit elato vultu ac voce, doctrina quam Christus discipulos, quam vos Thomas Apostolus docuit, quam catholici omnes profitentur, quam sanguine profuso non dubitanter ipse testabor. Agite; inermem, ut cernitis, mactate: morte forsitan mea vobis probabo, quod voce non possum. Neque vero me vestris minis aut hoc armorum terrore pellendum putatote: ratum est pedem hinc non efferre, nisi vera dicenti credatis, aut certe morienti. Perculit hæc oratio turbidos. Desigunt ora solo. Pergit, illorum silentio & metu factus audacior. Quid statis; ait, cur siletis, nisi quia veritas victos constrictoque tenet? Quid dubitatis illam mecum, indicto solenni cœtu, scrutari, & è sacris litteris, veteribusque monumentis exquirere? Ardebat nimirum consultissimus præful eos perducere ad congregandam synodum, haud dubius quin veritas in ea vinceret.

Assensere dicenti complures: reliqui demum in eandem sententiam conveniunt. Carurte, quo in oppido Archiepiscopus hebdomadæ sanctioris mysteria celebravit insigni apparatu. Vocatis in templum sacerdotibus feria quinta, ut Ecclesiæ Romanæ mos est, lavit omnium pedes. Fregit pervicaciam humilitas tanti præfulis. Accessit ad animos permovendos P. Antonii Tusci concio luculenta: consecutus facer morienti Christo dies, jam nutantes, ad obsequium penitus flexit. Antistitem virum haud dubiè sanctum prædicant, qui doceret vera & faceret: sanctam esse Romanam, quæ tales ferret Episcopos, tales ritus haberet, Ecclesiam; æquum esse ut omnes morem illi gererent. Tum duo proceres, quos

34.

Primores gentis cum Archidiacono præfulis potestati arbitrioque se permittunt. Synodus indicitur.

quos Archiepiscopus in consilium adhibuerat (nam ea ratione Malabares potissimum conciliantur) Quid cessamus, inquirunt, cur diutius veritati cognite ac Spiritui Sancto resistimus? Agite, sequimini: statimque supplices ad Menesii pedes accidunt, orant veniam pertinaciæ, obsequium ipsi & Ecclesiæ Romanæ omnes profitentur. Quos ille collacrymans allevat singulos, amplectitur, laudat; oblivisci præterita, & perficere fortiter inchoata jubet. Ubi vidit ad omnia paratissimos, urbem totam ad Ecclesiæ catholicæ communionem revocare, & sacramento Romani Pontificis adigere palam decrevit. Paschatis auspiciatissimam, quæ instabat, diem operi tanto destinat; ut ad veritatis lucem è diuturni schismatis tumulo felices gentis primitiæ resurgerent. Processere in primarium templum, inter faustos symphonicorum cantus. Sedebat in templi aditu Menesius, ad quem propius accedentes sacerdotalis & laici ordinis primores, in Romani Pontificis verba & doctrinam ritusque catholicos juraverunt, populo foris succlamante; tubis tympanisque respondentibus. Ingressis deinde templum P. Franciscus Rozus egregia oratione omnibus gratulatus est.

Percussus inexpectata rerum conversione Archidiaconus, seque à suis destitutum videns, & ab ipso Cocini Rege, cujus patrocinio potissimum nitebatur, astuabat. Cunctanti homines duo è Societate mandata Menesii novissima pertulerunt, actum esse, nisi post diem octavum se sisteret; arcendum sacris & communione Fidelium, alio ejus in locum suffecto. Hac denunciatione, atque adeo Regis Cocini, ad quem Archiepiscopus scripserat, minis perterritus, venturum se Vaypicotam promisit in collegium Patrum Societatis Jesu: apud quos, tamen de illis tam male meritis, tutiorem se fore quam alibi uspiam confidebat. Adfuit, amplexusque Archiepiscopi genua, *Pater*, inquit, *peccavi in cælum & coram te* *. Quem amantissimè complexus præsul, veniam à se nec non à Deo amplissimam, & præteritorum oblivionem spondit; modo stare præsentibus pactis, & in præsnita verba juraret. Hoc animo se venisse affirmavit, & in interius conclave cum P. Francisco Rozo subiit. Stabat Archiepiscopus effigiem Christi crucifixi tenens. Archidiaconus flexis poplitibus, & Missarum librum tangens manu, professionem Fidei edidit. Præsul manantibus gaudio lacrymis, pio pariter perfusum ætatu erigit, & hunc sibi diem in vita optatissimum illuxisse confirmat, quem bene tot laboribus & periculis emptum duceret: nihil jam restare, nisi ut quod egerat privatim, palam & in conventu nationis universæ præstaret. Conscriptæ sunt ab utroque literæ ad sacerdotes & primores urbium pagorumque, ut ad XII. Kal. Jul. MDXCIX. Diamperam omnes convenirent.

Appetente constituta die, sex Patres Societatis, qui theologorum Archiepiscopi partes in Concilio agerent, ab eo lecti fuere. Præterea octo Malabaricos sacerdotes, quos vulgo Casanares appellant, totius diocesis spectatissimos arcessivit, quibus statuenda in Synodo exposuit, illorum sententiam exquirens; veritatem singulorum capitum commonstrans in sacris litteris; & quæ objiciebant, diluens; habebat enim persuasum, quod illi approbassent, à ceteris nullo negotio confirmandum. In iis vero capitibus, quæ ad civilem administrationem pertinebant, in consilium adhibuit quatuor auctoritatis præcipuæ senes, & in republica versatos. Valuit ea res majorem in modum ad Synodi tranquillitatem. Isti quippe compecebant perveraces, respondebant dubitantibus; & Concilii decretis, non ut consultores tantum, sed quasi auctores, vim & pondus addebant.

DUODECIMO Kalendas Quintiles anni MDXCIX. qui dies Synodum aperiebat, ingens omnium ordinum multitudo apparuit. Lusitana vicinis ex oppidis nobilitas confluerat: aderant Canonici Cocinenses, & arcis Lusitanæ præfectus Antonius Norugna. Peracto solenni sacrificio, P. Franciscus Rozus verba fecit Malabaricè. Archiepiscopus Concilii causas, & alia quæ tempus monebat, explicuit; ac pœnas, quascumque habet ecclesiastica lex & consuetudo gravissimas, constituit, si quis privatim de rebus agendis in Concilio disputaret. Secunda dies & sessio publicam Fidei professionem habuit, ab ipso primum Archiepiscopo editam, deinde ab Archidiacono, denique communiter a presbyteris Malabaricis, hunc in modum. Eorum unus, in superiorem ascendens locum, formulam à Tri-

* Lüt. 19.

S. IV.
SYNODUS DIAM-
PERIENSIS.

à Tridentino Concilio præscriptam legebat, ceteris in genua procumbentibus, & eadem verba repetentibus: tum uniuersique ad Archiepiscopum sedentem pro ara majori accedens, ab eoque interrogatus num probè quæ recitata fuerant intellexisset; num sponte ac libere iurandum in hæc verba daret; Ita esse, codicem Missarum & Crucem tangens, respondebat, aliamque breuem formulam contra proprios Ecclesiæ hujus errores conscriptam pronuntiabat. Decretum fuit nemo ut ad sacros deinceps Ordines, aut parœciæ regimen, promoveretur, quin prius Fidem catholicam ex ejusmodi formula profiteretur.

Aliis diebus & sessionibus excussa sunt varia, quæ doctrinam disciplinamque spectabant, capita; maxime de sacramentis. Illorum doctrina primum exponebatur, deinde conscribentur decreta; dissolutis prius, quos licebat cuilibet objicere, nodis ac difficultatibus. Lugenda plerique laborabant incertitia. Erant qui Baptismi formam ignorarent; itaque oppidulum integrum, immixtis occulte in singulas domos sacerdotibus, baptizandum Menesius curavit: quia parochum non ea, qua par erat, usum forma comperit. Plerique per montes & nemora sparsi, nunquam salutari fonte lustrati fuerant, partim negligentia, partim inopia; quia non suppetebat, unde sacerdoti penderent vestigial, exigi pro sacramentis illic solitum. Confirmationis nomen ipsum ignorabant: expiare animum confessione peccatorum, ante sacrum epulum, moris non erat. Peccata purgari sua sic rebantur. Ingentem die dominica focum in templo accendebant: foco magnam thuris injiciebant copiam, collectoque manibus fumo, pectus vaporabant: ita se demum puros purgatosque arbitrati. Missa foedissimis scatebat erroribus & carimoniis, ad vernaculas hæreses declarandas institutis. De censuris, de flagitiorum discriminibus & delictis reservatis, copiosus docendi locus Patribus fuit. Traditi libri, unde hæc per otium discerent. Multus etiam de Nestorio & ejus impio dogmate sermo. Designati fuere librorum & precum sacerdotalium loci, alii emendandi, alii expungendi: proscripita simoniæ vetus labes, & parochorum alimentis consultum. Censum illis destinatum, ubi deficeret, expleturum se promisit Archiepiscopus de suo; & solvi de fisco voluit hoc anno Rex Lusitanæ. Multa quoque de celibatu sacerdotum, de laicorum matrimonio, de statis juniorum diebus, de moribus reformandis, piè sapienterque sancita.

Post nonam ultimamque sessionem, Menesius vocatos ad se parochos officii commonescit, & quam severa illius ratio reddenda Deo quondam foret, denunciavit. Ad extremum, acta Concilii & decreta primus omnium suo nomine & chirographo firmavit; quem deinde reliqui ad unum consecuti sunt. Gratia Superis acta singulari cunctorum lætitia, & instructum agmen supplicantium. Sed repente densissimum imbrem procellosus nimbus effudit. Trepidantibus in templi vestibulo primis ordinibus, inclamat præsul magna voce ut procedant: processere. Conticuit ventus, fugere nubes, neque imbris guttâ violatus quisquam fuit. Visa res portenti similis, nec parum inde auctoritatis accrevit Synodi decretis, & præcipuo tanti operis auctori Archiepiscopo: cujus majestate ac veneratione deterritos non semel se fuisse perturbatores nonnulli confessi sunt, cum disjicere bene coepta molirentur.

Dimissa Synodo, præsul negotium Patribus Societatis, quos habebat secum, dedit erudiendi & examinandi aliquot parochos & sacerdotes: tum de sententia duodecim Christianorum, è prima nobilitate selectorum, decisa sunt lites, quæ ad Concilium relatæ fuerant. Multi excommunicationis vinculo soluti, quo ab annis viginti pluribusve illigati, ac desperantium similes, vitam infelicem traherant. Neque enim sacerdotes consueverant aliquem anathemate percussum restituere Fidelium coetui, etiam supremo vitæ tempore: quam consuetudinem Synodus abrogavit. His feliciter confectis, Archiepiscopus amplissimas ad P. Nicolaum Pimentam, Societatis Indicæ Visitatorem, litteras scripsit, quibus eum de tanto negotio ad optatos demum exitus perducto faciebat certiore, & nostrorum pios labores multis laudibus extollens, se absque istis adiutoribus quidquam fuisse perfecturum negabat. In quo præsulis egregii modestiam licet agnoscere, qui uni, secundum Deum, tantum opus merito tribuendum.

RE-

35.
Opera in Concilio a Patribus posita.

§. V.
P. FRANC. ROZUS
CREATUR THO-
MÆORUM AR-
CHIEPISCOPUS.

RESTABAT unum ad operis absolutionem, sed momenti longè gravissimi; ut catholicus antistes eligeretur. Gentis proceres una voce postularunt illum ipsum Alexium Menesium, cuius probitatem, sapientiam, animum in Thomæos, perspexerant. Respondit Menesius id fieri non posse, quandiu Goanam retineret sedem; scripturum se ad Summum Pontificem, ut relicta Goa, totus illorum esset: nihil sibi posse optatius evenire: si tamen votis suis Romanus Pontifex non annueret, cupere se rescire, in quem potissimum oculos conjicerent. Petitio ad deliberandum spatio, renunciarunt, si carendum ipso foret, neminem videri sibi aptiorem huic jacturæ sarcindæ quàm P. Franc. Rozum. Affecit hæc electio Menesium singulari voluptate, cui nota jam pridem erat Patris eruditio, pietas, doctæque ceteræ muneri tanto pares. Scriptæ sunt ad Pontificem à Thomæis litteræ, quibus ei sua deferebant obsequia, seque restitutos Ecclesiæ catholicæ significabant: simul antistitem ab eo flagitabant Alexium Menesium, aut, si fieri id non posset, P. Franc. Rozum, Societatis Jesu. Eandem in sententiam scripserunt ad Regem Lusitaniæ. Rescripsit anno MDCL. ad Archiepiscopum Rex nequaquam expedire, ut Goanam sedem relinqueret: nominationem P. Franc. Rozi approbavit: coque postulante, Clemens VIII. eundem Rozum Ecclesiæ Angamalensî præfecit antistitem. Est Angamala sedes antiqua præfulis Thomæorum, & oppidum haud ignobile in eo peninsula Asiaticæ prope Comorinum promontorium tractu, quem longa montium series, perpetuo a septentrione ad meridiem ducta jugo, dividit in duas partes, unam soli orienti, alteram obeunti oppositam. Hæc juga Lusitani catenam, sive ferram, vocant: unde factum ut Angamalensî Thomæorum antistes appelleretur aliquando Serrensis Archiepiscopus.

Erat Pater Franciscus Rozus Gerundensis. Accesserat ad Societatem anno MDLXXV. ac triennio post in Indiam navigaverat. Ibi operam præcipuè navavit erudiendis Thomæis, tum paci Lusitanos inter & Calecuti Regem componendæ, ac mitigandis offensionibus procerum aliquot barbarorum, qui eam rescindere conabantur, & quorum insidiis ac ferro appetitus non semel fuit. Demum à Goano Archiepiscopo ad purgandam ab erroribus Ecclesiam Thomæorum, in Synodo Diamperiensî adhibitus, cum insignia eruditionis ac prudentiæ dedisset in eo negotio documenta, ejusdem Ecclesiæ, ut modo diximus, pastor designatus est. Repugnavit ille vehementer, ut Instituti nostri ratio lexque postulat: morem tamen gerere jussus, & Goæ consecratus VIII. Kal. Februar. anni MDCL. onus impositum subiit, & annis tribus ac viginti sic gessit, ut omnes vigilantissimi præfulis numeros impleverit.

Ac primo quidem dioecesim suam lustrare instituit, adscitis Patribus itinerum & laborum sociis, ac loca præsertim adit aspera & inculta, quæ cum præfulem ab annis triginta nullum vidissent, vitis ac superstitione silvescebant, vix ut in tantis errorum sentibus Christianum exstaret nomen. Deinde synodum dioecesanam Angamalæ coegit. Dicitur in ea rursus anathema Nestorio, & multa utiliter constituta. Quia vero scatebant gravissimis mendis libri, quibus utebantur ad sacrificium & publicas preces, rogavit Clementem VIII. præful ut emendati Roma codices mitterentur. Id visum operæ gravioris & longioris. Chaldaicos igitur characteres ex Europa deportavit jussu Pontificis P. Albertus Laertius, ut ex officinæ typographicæ secundo sinu major voluminum copia promptiorque funderetur. Ejus princeps partus Rituale Romanum fuit, quod è Latina, tunc Malabaricis sacerdotibus ignota lingua, in Chaldaicam conversum, ac parochis omnibus distributum est; ut sana & eadem in sacramentis administrandis ratio ubique teneretur. Ad incitiam autem paulatim depellendam, elegit antistes idem spectatos moribus ac genere adolescentes, qui liberalibus disciplinis eruditi, & ad sacros promoti Ordines, virtutis postea doctrinæque lucem suis popularibus impertirent. Curam deinde ad sacras aedes adificandas ornandasque vertit. Deserta montium juga perlustrans Christianos offendit bene multos, per avia sparsos nemora, & miserabili doctrinæ salutaris oblivione laborantes, inopiâ templi quò convenirent. Neque spes aut facultas aderat illius condeudi, vetante regulo crudeli atque ethnico. Factum est divina benignitate ut,

mutata

36.
Eius primi post
susceptum Epi-
scopatum labo-
res.

mutata subito mente, locum templo sponte daret. In somnis illi se obtulerat ignotorum virorum par venerabile. Voce gravi & imperiosa monuerunt ut Christianis faceret copiam certum in locum conveniendi, quem indicare videbantur. E somno fuscitatus confestim arcessit præfulem, locum repurgari à vepribus & virgultis jubet: statui præaltam Crucem, & ædis sacræ fundamenta poni.

Graviores ultori Deo pœnas obstinatio reguli alterius dedit. Erat in ejus ditione templum, sed male materiatum & ruinofum; deinde angustius, quàm ut neophytos omnes caperet. Refici placuit. Id verò à dynasta nullis precibus impetrare poterat Rozus. Ad eum novis artibus expugnandum postridie reversus, mortuum deprehendit; ejusque familiam continuata funera propemodum deleverunt. Haud levius alium dynasten puniti sunt Superi, cujus in finibus erant templa Thomæorum duo; alterum Principibus Apostolorum, alterum D. Georgio dedicatum. Huc è vicinis urbibus, ad festum diem celebrandum, ingens fiebat hominum concursus. Celebrari diem dynastes vetuit. Nihil Patrum, nihil antistitis preces valere. Quod homines non obtinebant, Deus extorsit. Coorto bello, arcem munitissimam hostes illi eripuerunt: repentina mors filium ejus natu majorem, & regni heredem abstulit; itemque præcipuum copiarum ductorem. Alterum ejus filium ignotus invadit morbus. Jacentem arcana manus ferire visa: exclamat percuti se ac perire: parentem rogat ut celebrari diem festum a Christianis patiatur: hanc ob causam se mactari: hasque inter voces animam effudit. Necdum tot plagæ novum Pharaonem frangebant: accessit alia prioribus durior. Unicus restabat filiolus, spes ultima miseri parentis. Puerulum febris, è febris phrenêsis, & amentia corripit. Tum vero aperuit oculos infelix, & supplex ad antistitis pedes accidit, veniam delicti orans: nec solum festam lucem præfco celebrari voluit more, sed etiam ædem sacram ornavit, & alendis lampadibus perpetuum olei vestigal attribuit. Deus parenti sic placatus sanitatem corporis mentisque filio restituit.

Plurimum ab iis dynastis ethnicis oriebatur molestia: neque ulla in re prudentissimus antistes gravius elaborabat, quam in mitigandis eorum offensionibus, animisque tractandis. Nec solum divino cultui opponebant varios obices, sed etiam perturbatoribus & seditiosis perfugium præbebant. Id maxime contigit anno MDCII. cum factiosi quidam sopitas de præsulibus Babylone arcessendis lites renovarunt. Luitanus Cocini prætor Cosinus Lafeyta, improborum spes Mangatæ regis opibus unice niti cernens, eum bello vexare aggressus est, ejusque regionem variis incursionibus laceravit. Quo ex bello plurimum incommodi redundavit in collegium Vaypicotanum: nam à Mangatæ regno duntaxat flumine interjecto discluditur. Abducti Patres, dissipatæ scholæ, concitati adversus Christianam religionem finitimi tetrarchæ. Tumultum ac periculum discussit rex Cocini, ab antistite rogatus; perturbatores pristinam ad obedientiam reducti, Quia tamen quotidie nova creabantur per ejusmodi regulos discrimina, neque ulla Thomæorum civitas non eorum alicui mancipata erat, præter Cranganorem, inter Calcutum & Cocinum sitam, in qua prævalidam arcem Lusitani tenebant: optimum factu censuit Goanus Archiepiscopus, ut P. Franciscus Rozus, Angamala relicta, Sedem Episcopalem Cranganore collocaret: ubi & dignitatem suam contra ethnicorum vim; & auctoritatem contra factiosorum molitiones tutari posset. Facile assensus est Summus Pontifex Paulus V. Translata Sedes Angamalenfis Cranganorem anno MDCIX. & P. Franciscus Rozus titulo Archiepiscopi Cranganorensis auctus est. Nec indigna erat honore isto Cranganor, ad quam primum fertur accessisse Thomas Apostolus, ut Christum Indis prædicaret. Visebatur etiam Crux ab eodem, ut perhibebant indigenæ, posita, id quod miracula patrari ad eam solita comprobabant. Thomæis longè gratissimus accidit præfco Archiepiscopi titulus, quo præfules olim Angamalenses gaudebant, antistiti suo redditus: nec non oblatus à Pontifice Maximo jubilæus, quem singulari pietate celebrarunt. In volutandis voluminibus Chaldaicis, quæ plurima penes Thomæos reperiebantur, deprehendit Cranganorensis Archiepiscopus, octo Archiepiscopatus à S. Thoma fuisse in his regionibus fundatos; nempe

37.
Sedes Angamalenfis Cranganorem translata. Novus Concilii Nicæni canon.

pe in Malabare, Socotora, Cambaia, Mogole, Cina: trium aliorum nomina quibus locis conveniant, incertum est. Reperit etiam in perverusto codice Chaldaico manu scripto Canonem Concilii Nicæni, qui non existat in Latinis editis. Est ejus hæc sententia: *Sic potestas Patriarchæ Romani sit super omnes Patriarchas, sicut B. Petro super orbem universum. Quemadmodum Petrum observat omnis Ecclesia: ita illum, qui Romæ est. Aliter qui dicat, sentiatque, hunc Synodus anathemate percutit.* In eodem codice legebantur alii Canones quidam ejusdem Nicæni Concilii, nondum vulgati: quos Romam ad P. Claudium Aquavivam misit idem P. Franc. Rozus, cum novis pariter Apostolorum Canonibus*; de quibus quid sit sentiendum eruditi disputant.

* Ex ejus litteris datis ann. 1605. die 11. Octobr.

S. VI.
SOCIETATIS SE-
DES IN INSULA
DIO.

Dum hæc apud Thomæos geruntur Societas in insula Dio domicilium obtinuit. Est hæc insula in apice regni Cambaia, versus Austrum, qua fluvius Indus in mare devolvitur, ad latus occidentale ejus ostii: exiguo quidem ambitu circumscripta, sed magni momenti, propterea quod mari vastissimo velut imperitat, & in omnem Asiam, Africamque, naves ac merces è toto collectas orbem spargit. Ea causa fuit Lusitanis cur portum hunc tot sumptibus, tanto sanguine bene redemptum putaverint. Insulam Diom olim obtinebat Jazius, Sarmata, qui à prædonibus abductus in servitutem puer, cum valeret ingenio & arte jaculandi, è mercatoris familia in regis Cambaia regiam transferat. Accidit ut Rex, exercitum in hostem ducens, milvum ante prima signa volitantem conspiceret. Omen infelix ratus expalluit, & amplissimam pronunciavit mercedem, si quis avem infaustam jaculo dejiceret. Audit Jazius, qui regios inter stipitatores adstabat, & arcu correpto milvum transfixum dejicit. Donatur libertate, auro, insula Dio. Locum opportunissimum commercio cernens, urbiculam, quæ portui affidebat, reficit; cingit mœnibus; ædificiis ornat; firmat munimentis; implet confluentibus ex Arabia, Perfide, India, mercatoribus: ipse auctus opibus & gloria, inter primos Asia principes brevi est numeratus. Jam Lusitanis metum cœperat incutere, quorum hostibus anno MDVIII. se adjunxerat: nec tamen palam oppugnandum judicabant, ne cum rege Cambaia, cujus cliens erat, bellum alieno tempore susciperent. Quod habebant in votis, fors obtulit.

Agebatur annus millesimus quingentesimus trigessimus, & Jazio filius Tocanus successerat, cum Soldanum Cambaia geminus invasit hostis; hinc Sangæ Regina (Clementinam annales vocant) veterum proles non degener Amazonum; inde rex Mogolum, Akebari pater. Soldanus faciliorem & promptiorem de femina victoriam fore arbitratus, illuc impetus primos vertit. Urbem Citoram, regni caput obsidet, cujus mœnibus Regina se incluserat, acie decernere non ausa, viribus inferior, animo par. Soldanus constructis celeritate incredibili turribus lapideis, quæ mœnia in edito loco posita æquabant, urbem maximam & ornatissimam muralibus tormentis obterit. Cives, elapsâ cum liberis Regina, fracti bello & spe destituti, congestis in cumulum opibus & gazis, voluntario incendio ad octoginta millia perierunt. At Mogolum imperator vacuum ingressus Cambaiam omnia ferro & igne vastabat. Occurrit Soldanus; instruit aciem; multa equitum peditumque millia, turbam verius quàm exercitum. Incurfu primo fusus; & exurus castris, fugit per avios montes, & in insulam Diom se abdit. Ex hoc regni sui angulo Martinum Alfonso Sosa, Lusitana classis præfectum, arcessit supplex: copiam arcis in eadem insula ædificandâ, si veniat auxilio, facit. Lusitanus oblatam gaudens occasionem tot annos frustra quæsitam, advolat cum apparatusissima classe. Mogolem exultantem fundit fugatque, arcem permunitam in ipso Diensis portus aditu exstruit. Soldanum hoste liberatum ac metu, subiit poenitentia. Intellexit, verum seriùs, quos sibi frenos ipse injectisset, quos evocasset vicinos. Ergo de Lusitanis, qui erant in arce, mandatis consultat. Detectis insidiis, perfidum iisdem artibus ulcisci Sosa constituit, & eductum e regia comprehendere. Morbum fingit. Prodit ad eum invisendum Soldanus; sed insidias odoratus, relicto properè Sosa, domum ac portum trepidè repetit. Occurrunt naves Lusitanæ, ac reditum inhibent. Soldanus vicissim navibus suis, quæ stabant in portu, dat signum. Prorumpunt. Oritur atrox pugna.

gnâ. Nihilominus jam ferè portum intrabat regia triremis, cum interfectis aliquot ejus remigibus manca segnisque restitit. Instant acrius Lusitani. Soldanus acceptis vulneribus, & cruore manans, projicit se in undas. Enatantem fluctus rejecto ad Lusitanam navim. Remum, ut ascenderet, porrigebat ratis gubernator, commiseratione motus, cum nauta improbus contum incutit capiti, & in mare præcipitem deturbat. Cambaiani, amisso duce, dant se in fugam. Sic tota insula in Lusitanorum potestatem venit. Hanc anno deinde MDXXXVIII. ac rursus MDXLVI. contra Turcas à Cambaiæ principibus accitos, egregiè propugnarunt. His victoriis firmata in perpetuum pax, datusque est constituendæ & ornandæ religioni locus. Præter ædes sacras complures, sua Franciscani, & Dominicani habebant in urbe cœnobîa, Vocatam dudum à civibus Societatem. P. Nicolaus Pimenta Indiæ visitator induxit, missis P. Gaspare Soario, & Fratre Michaele Perez. Non modo illum invitabat Dientis urbis ac totius Cambaiæ utilitas, & colligendus è tam fertili campo fructus; sed etiam opportunitas inde in Æthiopiâ transmittendi, operâ mercatorum, qui ex Africa & Arabia frequentes Diu comitant: id quod identidem feliciter susceptum est. Subiit insulam P. Soarius pridie Kalend. Martias anni MDC. ac statim ad populum verba facere ingressus, fructum opinione majorem collegit. Sedatâ inimicitia, restitutum, as alienum, illecebrâ peccandi sublata, animorum vulnera nec pauca nec levia curata. Felicibus primordiis excitati cives incubuerunt sedulo ad stabiliendam Societatis domum, collatis pro se quisque necessariis impensis, præsertim arcis præfecti Gonzalus Tavares, ejusque successor Gutterius Monroyus. Eminent in insula non procul à civitate mons, unde immensum mare, continentemque terram, liberrimo in omnem partem & jucundissimo prospectu, intueri licet. Hæc olim sedes erat primarii Mahometanorum templi, quod alia minora fana coronabant. Eversum est templum, ejusque loco posita ædes Beatissimæ Virginis, cum prægrandi Cruce; cui honorem, ab ipso longe pelago salutantes nautæ Christiani & vectores habent. Ædem & vicinum domicilium utriusque conditor Monroyus donavit Societati. Excisum quoque est delubrum religione veteri ab ethnicis diu celebratum, & Mahesso numini ficto sacrum; ad cuius aram necem sibi homines rebus adversis vexati consciscabant, ut ejus beneficio redirent in vitam meliorem, & ipsorum animæ in lauti ac divitis cuiuspiam corpus transfrent: nam inter miseræ gentis recentes fabulas, prisecam Pythagorea metempsychosis fidem adhuc obtinet.

Angustior, etsi ferax, campus Patrum caritati Diu erat, quàm ut ejus limitibus circumscriberentur. Sæpe tentatus fuerat in Cambaiam aditus, quam Dio jungit pons modico freto impositus; sæpe negatus: ad extremum, P. Gaspar Soarius in eam penetravit, & in urbe regni primaria rem divinam fecit; Lusitanis ministravit Sacramenta: longe verò pluribus Armeniis, quibus in animo dudum erat catholicum sacerdotem, qui secum degeret, nancisci. Sed cum revocaretur Goam Soarius, illis obsequi non potuit. Exploravit duntaxat religionis in ea gente, statum, velitatus est cum doctoribus indigenis; quos inscitia magis quàm flagitiis laborare comperit. Illud ridiculum, quod præpensum ori panniculum semper gestant, ne quem scilicet culicem hauriant imprudentes atque interficiant: quippe summum nefas credunt rem quamlibet vita spoliare. Quamobrem, ommissis rebus maximi momenti, quas audiebant à Soario, id unum discedentes orabant, ut Lusitanos admoneret, ne quid usquam unquam interimerent. Suratam ex itinere petiit Soarius, urbem imperii Mogolici notissimam. In ea diutius coactum demorari propter agram valetudinem convenit legatus potentissimi tetrarchæ, rogantis ut ad se quamprimum venire ne gravaretur. Morbum, & P. Provincialis mandata quibus redire jubebatur, Soarius excusavit: tetrarchæ litteras & vota, quod unum poterat, ad Provinciale postea detulit.

Reversus Goam audivit summa cum voluptate semina pietatis, jacta in regnis Porcano, Calecutano & Travancorenâ, latissimas in fruges, favente Deo, succrevisse. Maleanos etiam Societatem cum Religione accepisse. Partem illi montium incolunt, qui peninsulam Asiæ intra Gangem, secant, a septentrione in meridiem

38.
Ex insula Dio
in Cambaiam
& vicina loca
procurritur.

39.
Maleani ad
Christi Fidem
conversi. Hanc
vexat Rex Tra-
vancoris.

porrecti. Pagatim fere habitant, Unicuique pago præst impositus à Rege gubernator. Lene gentis ingenium, modesti mores, & à gravioribus flagitiis remoti. Victum dant fera, quas in sylvis sectantur. Earum nocturnos incurfus ut fugiant qui degunt inter nemora, casas in arboribus præaltis, ductis ab una ad aliam trabibus, ædificant. Elephantis vero sic tendunt insidias. Locum opportunum, speculati, egerunt humum, & fossas prægrandes aperiunt. Earum os & superficiem ramalibus integunt. In illas præcipitantes elephanti capiuntur, & artur, venduntur magno. Rara in pagis templa, rara numinum falsorum simulacra: sed magicæ sortes & præstigiæ plurimis cordi. Huic genti lumen Evangelicum inferre jampridem avebat Societas. Ad eam exeunte Junio anni MDC. profectus rector collegii Vaypicotani Regem adiit, olim multa, si Patres ad se venirent, pollicitum in gratiam Christianæ legis. Quæ promiserat prolixè præstitit. Gentis primores salutari doctrina tradidit erudiendos, ac locum designavit ædi sacræ, quam sacerdos Societatis brevi sic adornavit, ut solita ministeria, obire posset. Ceteris oræ Malabaricæ urbibus Goa prælucebat. Præter complures ethnicos ad Fidem in vicinis oppidis conversos, quorum numerata sunt amplius sex millia annis MDCI. & MDCII. celebratus est in ipsa urbe & Societatis collegio Sancti Pauli, ipso Apostoli festo die, insignis baptismus capitum mille. Interfuit Indiæ Prorex, cum frequenti procerum comitatu, & catechumenos aliquot de sacro fonte suscepit: plerique ab Archiepiscopo Goano vitali unda conspersi fuere. Magnam utrique ac civitati universæ voluptatem attulit Saraceni Principis felix ab impietate Mahometana transitus ad Christianam pietatem. Hic debitum sibi Armuziæ regnum eripi à fratre dolens, Lusitanorum fidem & potentiam imploraverat. Pro sceptro tamen, quod repetiturus venerat, patibulum reperit: vel potius regnum breve mutavit, ut sperare fas est, sempiterno. Detecta, quam contra Lusitanos machinabatur, proditioe, sceleris pœnas cervicibus abscissis persolvit. Propostas interim a Patribus Societatis, quos ejus salus sollicitos habebat, rationes demisit in animum; concessisque ab regio prætere induciis tridui plenius eruditus, Sebastiani nomen accepit in baptismo; quem illi domus Professorum præpositus magno apparatu contulit in eo ipso, ubi caput truncandus erat, loco. Insonuit mistus latitiâ populi planctus, cum verba novissima uxori liberisque dixit, unum hoc inter supremos amplexus præcipiens rogansque, ut Mahometem ejurarent. Ita se demum gessit, ut mortem potius à divina donatam Providentia, quàm irrogatam ab humana iustitia pœnam, agnosceret.

Rex Travancoris, ad eam diem Religioni & Societati favere palam visus, utramque anno MDCIV. vexavit. Solem terris eripuerat luna, inter ipsum atque terras interjecta. Mæstus pavidam ac supersticiosam nationem horror invasit. Rex somni cibique expers Brachmanes, hariolos, & magos convocat. Veneticus ceteris audacior & sceleratior grande portendi malum denunciat: exitium Regi certissimum imminere: averti nihilominus posse ac propulsari, oppidis aliquot incensis, mactatisque mortalibus, quorum in caput Principi parata clades recideret. Hæc ferme remedia proponunt nefandi præstigiatores, ab illo scilicet instituti, qui *homicida est ab initio* *. Addit sycophanta, siquidem placandi sanguine Superi sint, placandos maxime Christiano: hac victima certius, quàm alia qualibet litandum. Regem impia vox diu suspensum anxiumque tenuit. Hinc benevolentia in Patres Societatis, & in honorem Christianæ legis edita recens promulgata; inde metus exitii dubium jactabant. Impulit hominem in fæva consilia casus infelix. Coorta fuerat inter ethnicos oppidi maritimi, & Christianos, rixa. Ethnici male multati Regem adeunt, eique magnam pecuniæ vim offerunt, ut liceat sibi cum regiarum parte copiarum pœnas à Christianis sumere. Diu multumque oratus annuit. Ruunt in imparatos. Atrox pugna confertur; à prima luce ad vesperam certatum ambiguo Marte: demum penes Christianos victoria stetit. Hanc tamen satis gnari non inultam, neque incruentam sibi fore, convulsatis quæcumque asportari poterant, abscedunt procul cum liberis & uxoribus. Redit hostis postredie animis & numero refectus: vacuum oppidum cum domo Societatis temploque succendit. Progressus, ferro flammaque sævit in vicinos

Chri-

* Joan. 8.

Christianorum pagos. Undecim direpti, flammisque consumpti, cum templis & Crucibus. Furorem repressit oppidulum propugnaculis & ingenio loci tutum. Satiati ultione domum se receperunt.

Qui arma illis in Christianorum perniciem ministraverat Tartarus, maximum ex ea clade detrimentum cepit. Locus erat profana superstitione sacer, quem impietas velut arcem à multis seculis infederat, in apice ipso promontorii Comorini. Præalta rupes, modico ambitu, toti pelago imperitabat. Hic olim habitasse simium, solenne his regionibus numen, barbaris erat persuasum. Ostendebant impressa humi vestigia simii, quæ venerabundi exosculabantur; eoque India pars magna statis diebus, religionis ergo, concurrebat. Huc oppidis suis pulsa multitudo Christianorum, tanquam in asylum tutissimum, effugit cum Patribus Andrea Bucerio, & Jacobo Gonsalvio. Abrasis fabulosi simii pedum vestigiis, Crucem eminens conspiciendam & adorandam defixerunt; ædemque pulcherrimam Virgini Matri posuere. Sed hinc rabies ethnicorum exarsit violentior, præcipue Brachmanum; qui vota suo simio facere non cessabant ut vetustissimæ religionis everforsa siti ac fame male perderet. Ac sitim quidem ut exules pii propulsarent, cisternam aquæ dulci colligendæ in ipsa rupe foderunt: fames, Dei beneficio singulari est depulsa, qui vim piscium magnam ad hoc litus, antea sterile & infecundum, compulit.

Calamitatem Christiani gregis prænucciasse visa Crux fuit, ex qua sanguineus in urbe Cotatena liquor fluxerat. Repertas verò in ambustis pagorum ruderibus ligneas Cruces ferunt, quas ausa non fuerat flamma violare. Hæc per vulgata momenti non parum attulerunt ad eripiendam aliquibus ethnicis superstitionem; ac præcipue claro centurioni, qui arcem regis Travancoris, & simul idoli fanum in ea custodiebat, Regi & idolo suo cumprimis addictus. Ægrotantis collo sacerdos è nostris coronam Deiparæ circumdedit; sanavit; sanatumque nova per baptismum vita donavit, cum aliquot ejus affinibus. Fanum, contrito simulacro, in ædiculam conversum est. Miseratus interim Christianorum vicem P. Nicolaus Spinola, quem Rex habuerat semper carissimum, ad illum bis adiit: sed nihil tunc profecit apud iratum, & Brachmanum querelis ac minis obfessum. Anno tandem MDCVII. pacem æquissimis conditionibus feliciter contulit.

Dum sæviebat Rex Travancoris in Christi cultores, iisdem sævebat Rex Pimenta. Hujus benevolentia fretus P. Stephanus Britus Apostolicam suscepit expeditionem in montes Turuguranos, quò post P. Melchiorem Carnerum sacerdos nullus iverat, ab annis amplius triginta. Magnum ibi Christianorum reperit numerum, incitiam miserabili laborantem; sed incitiam tamen suam sibi conscium & pertæsum. Itaque quoties in pagum aliquem subibat, omittis, uti festo die, rebus concurrebant in templum, ac doctrinæ coelestis imbrem sitientibus animis hauriebant. Lites deponebantur in Patris sinu & arbitrio; negotia ejus nutu consiliisque regebantur. Populi pietatem non parum confirmavit sacrilegi furis poena. Divinum calicem clam subduxerat. Post incertos ac diurnos errores, ab urgente conscientia, velut obtorto collo, ductus ad judicem, ipse suus accusator & testis poenas ultro dedit. In profluentem abjectum cadaver, undis delatum est ante sacram ædem: ibique octiduo toto stetit aqua mersum; exstante duntaxat, quæ facinus admiserat, manu: crocodilis, quos frequentes litus alit, efcam sacrilegio contaminatam attingere metuentibus. Per idem tempus Societatis homines flagitavit Rex Tanoris, cujus majores susceptam circa annum MDXLVI. Christi Fidem, cum amicitia Lusitanorum, adhuc sanctè coluerant. Eum convenere duo è nostris sacerdotibus: quos ubi primum humanissimè salutavit, non alia de re prius agi passus est, quam de solo ad sacram ædem ædificandam idoneo. Ejus descriptionem à Patribus propositam approbavit, negotiumque dedit urbis gubernatori, ut opus urgeret. Statim præsto fuere ad camenta & ligna comportanda elephantis; fabri ad componenda; varii artifices ad ornanda omnia & illustranda. Maximum novi templi ornamentum fuit imago Deiparæ ad ejus exemplum, quam D. Lucas pinxit, expressa: nec non pulcherrima

40.
Expeditio Apostolica, in Turuguranos montes & regnum Tanoris, suscepta.

rima Crux, XVIII. Kal. Octobris, qui dies Exaltatæ Cruci sacer est, erecta spectante Rege, displosisque ad lætitiæ significationem tormentis bellicis. Eam intuens Rex & venerans, hortatus est populum, ut omnes Christiana suscipere- rent sacra. Debitam sacrosanctæ Cruci venerationem auxit depulsa ejus beneficio pestilentia, quæ maritimam devastabat oram. Piscatores, æstu viscera depascente in ipso prope vestigio animam exhalabant. Ad placandum dæmonem vota miseri, preces, & sacrificia congefferunt. Irrita cecidere vota, irrita preces ac sacrificia. Tunc P. Jacobus Fenicius, arrepto tempore, Cur, inquit, furda & muta numina precibus fatigatis? hunc tandem, de quo toties audivistis, Deum, qui vos sua redemit nece, qui Crucem, ut certissimum vestris malis amuletum, reliquit, agnoscite. Movit animos oratio. Supplices oleum alendæ lampadi antea Crucem arsuræ vovent. Depulsa paulatim pestis, & in Petri retia fortunati piscatores adducti.

S. VII.
VINCENTIUS
ALVARUS à MA-
HOMETANIS
TRUCIDATUS.

His rebus prosperè confectis, gloriosa mors Vincentii Alvari, & triste Patris Antonii Abreri naufragium, intervenere. Oriundus erat Vincentius Alvarus Ferreira, quod oppidum est Lusitaniæ in Eborensi diocesi. Venerat in Indiam anno MDXCIX. laborum & martyrii avidus. Goam proficiscens anno MDCVI. ad prosequendâ literarum studia, incurrit in myoparones Mahometanos. Lusitani, quibuscum vehebatur, impari pugna commissa, deditioem facere coacti, de suorum capite ac vita paciscuntur. De pretio convenit: sed conditio à prædonibus est apposita, ut ceterorum numero eximeretur Vincentius cum socio sacerdote, quos sibi dirè mactandos reservabant. Hujus exceptionis hæc suberat causa, quod molestissime ferrent nonnullos proceres Mahometanos profana superstitioni recens ereptos, & additos Christo, Societatis operâ. Conceptum igitur in omnes odium, istorum, quos habebant in manibus, cruore satiare decreverunt. Repugnabant acriter Lusitani, neque ullas deditioem leges, nisi conditio hæc tolleretur, admittebant. Dum sic altercantur, & quidem frustra (quippe cum pluribus & victoribus) Dabulem venère, qua in urbe actor Lusitani Regis versabatur, à quo nummos in deditioem pactos numerari oportebat. Deligunt Lusitani Vincentium Alvarum cum aliquot aliis, qui regium præfectum conveniat. Sed Alvarus, obeundæ pro Christo mortis desiderio, an etiam caritate, qua focii vitæ magis consulebat quàm suæ? insitit ut P. Antonius Velosus, quem comitabatur, Dabulem pergeret, ipse remaneret: causam hanc prærexit, quod potior foret sacerdotis auctoritas ad negotium è sententia conficiendum. Itaque mansit felix ovicula furentes inter lupos: qui statim maledictis, & verberibus rabidos acere cœperunt dentes, & meditato sceleri præcludere. Illuxerat dies Veneris, Mahometi sacer apud Saracenos: hunc novo sacrificio celebrare constituerunt. Manus injiciunt Vincentio, reclamantibus licet ac renitentibus Lusitanis; raptant ad navigii proram lætum beata sorte, & triumphantem præ gaudio. Provolutus in genua pius concepit preces, & cervicem acinaci barbaro amputandam obtulit*. Erupit impiorum clamor Mahometem personantium, urguis suis bonus ac felix esse pergeret, hac placatus victima, stultè comprecantium. Agebat Alvarus annum ætatis septimum & vigesimum.

* Die 18. Januarii.
vel mense Aprilii.

41.
Duorum è nostris caritas & naufragium.
BB. Ignatii & Xaverii memoria miraculis commendata.

P. Antonius Abrerus vela faciebat in littore Malabarico, cum P. Bernardino Senensi. Orta subito Cocinum inter & Culanum fœda tempestas IV. Kalend. Novemb. MDCXI. classem sex navigiis majoribus & aliis minoribus bene multis constantem, & Asiaticis onustam mercibus fregit. P. Abrerus ducentos ethnicos, nullis antea monitis & adhortationibus victos, ad sacrum baptismum perduxit. P. Bernardinus milites omnes, quorum ingens erat numerus, salutari confessione expiavit; neque suæ prius vitæ consulere sustinuit, quàm eorum salutem sempiternam in tuto collocasset. Eversa demum navi jactabatur undis; cum ad B. Ignatium ore animoque conversus, cernit oblatam ex improvise adnatate trabem. Huic se applicat, perque iratos fluctus diu raptatus, ad littoris cautes ejicitur. Exciverat indigenas procellæ fragor & prædæ spes. Ab iis haud dubie spoliandus & necandus Ignatium rursus appellat, cujus ope mitigata barbarorum feritas incolumem accepit in littus. Servatam Superum beneficio vitam dolor prope modum

pemodum ademit. Paululum in littore processerat, cum incidit in cadaver focii carissimi P. Antonii Abneri. Triste ac dulce onus mærens ad Patres Franciscanos deportavit, quorum in æde sacra sepultum est. Non uni tantum P. Bernardino, sed aliis plurimis tum è Societate, tum externis, in hac Indiæ parte, salutis fuit S. Ignatii nomen, quem Europa novo insignitum titulo, & Beatorum factis nuper additum celebrabat*: nec non S. Francisci Xaverii, cujus in his partibus vigebat adhuc velut recens memoria, frequentibus commendata prodigiis. Corate, oppidum est decem circiter millia passuum distans à promontorio Comorino, & regni Travancorensis limes. Ibi ejus imago magnam habebat venerationem. Pendebant circum undique donaria, miraculorum testes. Id morbo quolibet laborantibus, id calamitosi communi perfrugium, non Christianis modo, verum etiam religionis veræ exortibus. In iis poeta senex memorabilis fuit, magnum olim ethnici gregis decus. Nam pangendis non incommodè versibus, quibus tota natio mirificè delectatur, fabulas & insulsa Brachmanum deliria ingeniosè commendabat. Uxor ejus, liberi, familia prope tota Christianam sequebatur legem: unus ipse, fama eruditionis tumens, hærebat in impietate. Linguæ ac venæ procacis vitium Deus insolito pedum tumore castigavit. Sed corporis morbus animo peperit sanitatem. Vovit, si convalesceret, se Christi deinceps clientem, & Xaverii præconem fore. Convaluit, ac postridie oden elegantissimam attulit in ædem sacram, qua salutem sibi restitutam, & laudes patroni sui decantabat. Paucis post mensibus sacro fonte perfusus, & melius canere, & sanctius vivere didicit. Alter poeta, sed Christianus, integrum eidem Xaverio poema dedicavit. Magistratum insignem gerebat in oppido, & ab octo mensibus captus oculis ac pedibus languebat, remediorum irritam vim deplorans. Oblatus illi secundum quietem sacerdos linteo tectus amiculo, qualis fere Xaverius pingitur, monet ut Coratenam in ædem suam pergat, ibi sanandus. Eò simul ac venit, haud vanam felicitis somnii fidem latus agnovit.

*Supra. Lib. XV.
§. VII.

In altera parte Asiaticæ intra Gangem peninsulæ, quæ solem orientem respicit, præcipua regna sunt Bisnagarenum, Golcondanum, Gingianum, Tanjaoranum, & Madurensè. Ad ea Iustranda P. Nicolaus Pimenta, Indiæ Visitator, egressus Cocino sub finem Januarii anni MDXCVIII. suavissime complexus est in oppido Punicali P. Henricum Henricium, qui ab ipso S. Francisco Xaverio huic præpositus stationi*, eam ab annis amplius quinquaginta, senex emeritus, retinebat, vegetis adhuc animi corporisque viribus. Magnam librorum copiam lingua Malabarica conscripserat, quorum ope finitimas etiam erudiebat gentes, & Christianam plebem in suscepta Fide confirmabat. Non minorem animo voluptatem hausit Visitator, cum ingressus Manariam insulam, quo tempore Christiana pietas anniversariis sacris necem Christi acerbissimam recolebat, personare pio populi planctu suspiriisque templum vidit, sacerdote de Servatoris cruciatibus differente.

S. VIII.

ORA COROMAN-
DELIA LUSTRA-
TUR.

*Part. I. Lib. VI.
87. VIII. 134. IX.
117. 5c.

Factus per eos dies celebris ille piscatus margaritarum, in angusto freto, quod Ceylanum inter ac Manariam interest. Confluxerant hominum millia facile sexaginta. Instructi armis & supellecile domestica, plerique cum uxoribus & liberis, castrorum in morem litus omne compleverant: collocata certis in locis excubia, præfecti operum singulis turmis attributi, omnia ordine pulcherrimo composita. Aderant, pro more, missi Columbo (primarium id oppidum Ceylani) Batavi, qui rei summa præessent. Nec deerant Patres Societatis, qui frequentes eundem in locum convenire solent ad componendas, ut in tanta multitudine, lites, fovendamque pacem; ad rem divinam faciendam, & subministranda reliqua animarum auxilia. Porro margaritarum ille piscatus (quoniam huc incidit sermo) sic peragitur. Initium piscandi fit certo tempore, à Batavis per rotam oram promulgato. Signum datur tormento murali disposito. Tunc in mare propellitur ingens navicularum numerus: in singulis quinquaginta circiter nautæ, urinatores viginti. Simul atque naviculae in littoris parte ipsis designata constiterunt, ancora jacitur, & urinatores ad anum ventrem saxum alligant longum pede, latum dimidio; arcuatum, qua parte ventri adstringitur. Id faciunt, ne fluctuum impetu abripiantur, utque firmiter in mari gradiantur. Alterum deinde saxum, sed multo

42.

Manaria insula:
margaritarum
piscatus.

multo gravius, pedi alligant, cujus pondere subito in imum æquor devolvuntur, quodque delapsi statim deponunt. Præterea, quia ostrea, quorum in conchis latent uniones, sunt cautibus affixa, manuum digitos multis, è corio duriore, fasciis involvunt, ne revellendis per vim ostreis lædantur: quin, ferreis interdum fuscis utuntur. Unusquisque suspensum è collo gestat ingentem saccum, in quem ostrea collecta immittat. Sic ornati urinatores in mare se se præcipitant longum per funem, cujus pars una ipsorum brachio, altera naviculæ inheret. Statim atque pelagi solum attigere, discunt huc illuc celeritate summa per glaream, cautesque asperas, & ostrea passim obvia revellunt. Tantam in mari, etiam infimo & altissimo, testantur esse lucem, ut aspectus in omnem partem facillimè patet. Sæpe occurrunt immania piscium monstra, quæ à Christianis ducto Crucis signo propulsantur, certo hætenus & nunquam fallente præsidio: Mahometanis aut ethnicis fuga nihil arteve aliæ profuit, quominus ab iis sæpe devorentur: idque longe gravissimum in hoc piscatu periculum est, ac frequentissimum. Boni urinatores per horam dimidiam in aqua vulgò durant: alii quartam horæ partem: neque oleo, aut alio liquore ullo se tumentur: animam duntaxat continent, idque nullo negotio: tantum consuetudo a teneris unguiculis ducta valet! Cum se spiritu præcluso suffocari sentiunt, signum dant moto fune, recipiunturque ex æquore in naviculam per alterum funem, quem corpori medio alligatum habent. Est qui centena referat ostrea, est qui quadringenta, ut casus tulit. Si plura occurrunt, quàm continere saccus ipsorum queat, illa congerunt in cumulum, in ipso mari, ac reversi deinde asportant. Onere suo levati paulum interquiescunt, mox reddunt se pelago.

Sub vesperam ostrea omnia e naviculis deportantur in scrobes quadratas, ac pedibus quinque quaternisve latas. Ibi congesta & exstantia metarum in morem, tandiu relinquuntur dum se diductis conchis aperiant ac moriantur. Putrefacta & soluta carne, margaritæ decidunt sua sponte in subjectam scrobem; unde postmodum eductæ, ab arena fordibusque repurgantur. Nullus est earum certus in ostreorum carne locus: aliæ in capite, aliæ aliis in partibus formantur, complures in musculis & pulpa. Una vulgò ceteris major est ac perfectior; nonnunquam duæ, reliquæ minores multæ; candidæ omnes ut plurimum: flavis aut nigris color deterrimus, ac pretii nullius. Forma omnibus non una. Aliis, pyrorum in morem, desinit in acumen; aliis rotunda est, aliis ovata: inæqualis quibusdam & varia. Abluti purgatique uniones congeruntur in areas quinque sexve pelves, alias aliis suppositas, & ita perforatas, cribrorum instar, ut foramina supremæ pelvis majora sint, aliarum autem eo minora, quo sunt a summa remotiores. Uniones, qui per foramina supremæ pelvis non transmittuntur, primæ censentur notæ: qui remanent in secunda, secundæ; qui in tertia, tertiæ. In infima pelvi, quæ forata non est, excipiuntur minutæ, rudes, & inchoatæ margaritæ. Creditum olim fuit ostrea sub auroram emergere in summum æquor, & hiantibus modice conchis matutinum rorem excipere; quo velut cœlesti semine hausto, uniones parturirentur. Illa vero sic marinis cautibus adhærescunt, nunquam ut in summo æquore conspiciantur. Hoc habent margaritæ, quæ leguntur in ora Piscaria, ut nitorem suum deperdant nunquam; aliarum candor sensim exolescit. Licet unicuique cymbas inferre quam multas libuerit. Sexcentæ vulgò, aut septingentæ numerantur. Singulæ nummos, ut minimum, sexaginta Batavis pensitant. Potestas ubilibet piscandi promiscuè, nemini fit. Certus designatur locus, idque factò prius periculo, unde intelligatur quæ pars æquoris, quàm dives unionum sit. Accidebat enim aliquando, prius quam ejusmodi specimen caperetur, ut sterilis piscatus & Batavis damnosus foret. Quidquid margaritarum primo die colligitur, ad Regem Maduræ pertinet, vel ad Maravarum Principem, prout alterutrius in ditione littoribusque piscatus sit. Diei secundæ prædam Batavorum juris esse nonnulli falsò tradiderunt. Hoc sibi vindicant unum, ut majores margaritas emant. Quod si pretium à naviculæ domino indicatum abnuunt pendere, aliis emptoribus liceri fas est. Sed Batavi præfenti pecunia, quæ illis deesse non solet, reliquos emptores facillè vincunt.

Solvens

Solvens è Manaria insula Vifitator Negapatanum venit ab oppidanis invitatus, qui jamdudum Societatem expetebant. Spem longe maximam faciebat amplificandæ religionis hæc civitas: in eam quippe ingens fit mortalium, omnis fœdæ generisque concursus, e sinu Bengalano, Peguano regno, Malabarica ora, ultimisque Sinis. Inde contendit itinere terrestri ad oppidum S. Thomæ. Dierum duodecim iter fuit, per amœnissimam regionem. Hic delubra frequentissima & pulcherrima cernere erat, plena Numinum variorum, avium, hominum, quadrupedum. Eorum colossos immanes huc illuc deportabant venerabundi: subibant ipsimet onus tantum, & humeris subjectis vefanas moles circumferebant. Regem Gingii Vifitator ex itinere adiit, ut ab eo facultatem conficiendæ turò via, & sine impensis portoriorum, postularet. In regiam deducti sunt Patres à ducentis Brachmanis, aquam certo consecratam ritu quacumque transfrent aspergentibus. Per varios conclavium anfractus, & militum excubias, ad Regem denique pervenerunt. Exstabat in ingenti suggesto pretiosis instrato tapetibus, ac præaltis pulvillis, in modum columnæ assurgentibus, infidebat. Toga illi serica, & ad talos promissa: torquis multiplici gemmarum ordine, a collo in pectus inum fluebat: oblonga casarics, distincta unionibus, & in nodum sub verticem collecta, quam pannus fericus coronabat. Hinc inde affidebant viri principes, admittis Brachmanis. Ipse florenti ætate, vultu decoro & vivido, majestatem humanitate temperatam præ se ferebat. Accepit Patres benignitate summa, munusculis eorum delectari se significans, sermonemque de religione ad multam noctem produxit. Tandem pannis auro illufis donatos remisit, addito uno è regiis stipatoribus, qui eos affectaretur, immunisque naulis & portoriis præstaret.

Iter igitur postridie repetitum, qui dies sacer & festus urbi præcipua religione colebatur. Quippe in templum ingens, a Rege conditum, deferebatur simulacrum vetus. Simulacro nomen Hanimantus; figura, simii: quem aiebant olim fuisse Deum, sed ob nescio quod delictum, una cum aliis sexcentis Deorum millibus dejectum cœlo, simii formam unâ cum iis induisse, ac principatum inter Deos simios obtinere. Persecutus iter Pimenta, salvus & incolumis tenuit Meliaporam, sive Fanum S. Thomæ, in eoque Seminarium erexit, in quo institueretur juventus nobilis Badagarum. Illi Madurensis regni & oræ Malabarica fines incolunt. Spes erat felices illic educari plantas posse, quæ maturos religionis fructus aliquando suis popularibus inferrent.

Latè dominatur in hoc tractu Rex Bisnagaris, seu Narsingæ: nomen illi tunc Vencatapadinus Ragii Devamaganus Ragel: seque ipse suis in diplomatibus inscribebat maximorum Regum Regem, & Regum Deum, Magistrum nescientium loqui, Victorem omnium quæ videt, & Conservatorem omnium quæ vicit, Formidolosum octo plagis mundi, Sponsum bonæ Fortunæ, Dominum Orientis, Austri, Aquilonis, Occidentis & maris. Sanè olim latè patebat ejus regnum, ac totam illam Asiæ partem, quæ porrigitur paulò infra Goam ad Ceylanum usque, amplectebatur. At varii principes & reguli, quos Naikenos vocant, imperiû sensim excusso jugo, potentiam illius & oppida inter se partiti, cum angustiù regnare coegerunt. Regia civitas Candegrium dicitur. In ea visum est è re Christiana fore, si Societas domicilium haberet, unde posset Evangelii lumen in amplissimam regionem propagari. Datum id negotii Patri Simoni Sa, rectori collegii S. Thomæ; qui ut rem è Vifitatoris sententia conficeret, scripsit ad Oboragium, Narsingani regis socerum, studiosum Societatis, nec alienum a religione Christiana. Rescripsit ille humanitate singulari, ejusque fretus epistola rector in viam se dedit sub initium Octobris anni MDXCVIII. Prolatis, quacumque transeundum fuit, Oboragii litteris, urbes, portus, flumina patuerunt. Superatis montibus præruptis & arduis descendit in amœnas valles, ubi populus ferè degit. Attoniti confluebant ad novorum hominum aspectum, nec tam mirabantur peregrinam vestem & ora, quam sermones de Numine uno, æternisque suppliciiis aut præmiis; quos avida bibebant aure, nihil tale auditum a se unquam contestantes. Videbant Patres non sine gemitu miserabilem incitiam, in indole tam bona. Quis enim tot animas perire, docentium inopiâ, non doleat? Ita sunt ab

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

Q q q

iis

43.
Domicilium Societatis in urbe Negapatano: Seminarium in Fano S. Thomæ.

44.
Rex Bisnagaris Societatem accipit. Ejus colloquium cum Patribus.

iis avulsi, ut se redituros pollicerentur. Jam in conspectu Candegrum erat, regia, ut dixi, civitas, cum multitudinem hominum prope infinitam aspiciunt in vicino monte. Ibi templum falsi Numinis Tripiti. Trecenti admodum Brachmanes, templo præpositi, subeuntem populum admonebant in limine, ut purgaret peccata, hoc est, barbæ partem & capillorum poneret, corpusque ablueret.

Certior factus de Patrum adventu Oboragius, summum copiarum præfectum ad ipsos in urbem deducendos misit, cum lecto procerum, militum, & elephantorum comitatu. Deveci fuere in lecticis elegantibus: singulas quaterni gestabant bajuli, præeuntibus lictoribus & præconibus, qui affluentem turbam agrè submovebant. Ipsi vestes illas induerant, quibus ornati sacerdotes catholici ad aras operantur, nimirum albam tunicam lineam, cum stola, & toga seu casula bombycina. Hoc apparatu ad Oboragium processerunt. Sedentem in splendido tapete, pulvillis sultum, & auro gemmisque radiantem, salutarunt. Exposita causa itineris, gratias egere amplissimas pro acceptis pridem ab eo beneficiis. Ea se cumulaturum promisit; ipsorum esse dispicere ubi adem sacram condere cuperent. Addidit promissis liberalibus munera, & multa de regè Hispania, ac Lusitania; de Indico Prorege, sciscitatus remisit militari cinctos turma, in destinatum hospitium.

Rogare Patres ut ipsis, ejus opera, liceret Regem salutare. Paratos in diem tertium esse iussit. Progressi sunt eodem quo prius ornatu. Sedebat Rex in solio: infra illum considebant hinc Princeps regni heres, inde Oboragius; stante promiscua circum nobilitate. Spirabat majestatem Rex & humanitatem: oris color subniger, grandes oculi, venusta facies, statura mediocris. Inter cetera Patrum munuscula figuram cordis crystallini, aureis argenteisque filis intertextam, adamavit: cui Patres, Jure, inquit, cor offertur ac placet Regi; amoris nempe ac fidei symbolum. Percontanti de nostro vitæ instituto, vestitu & moribus, responderunt se obsequio divino & hominum saluti addictos esse: nuncium negotiis & curis profanis idcirco remisisse: vitam austeriorem & à voluptatibus remotam vivere: uti vestibus vulgo pullis: nudos non incedere, honestatis causa. Ultimum hoc addiderunt, propterea quod Brachmanum genus quoddam illic est impurum & sordidum. Amant illi prodire in publicum omnino nudi, & magno in honore sunt, quia segregati ab hominum consortio, solitudinem & avia nemora sectantur. Quæsit etiam Rex an ducerent uxores. Negare: quod Christiani sacerdotes Deum purissimum & sanctissimum proximè conarentur imitari. Miratus vehementer, iterum hoc idem, ac tertio, quæsit, & Quam sæpe, inquit, igitur lympha munda corpus abluitis, ut in conspectum Dei vestri veniatis? Aliam hujus munditiæ parandæ rationem, & sacramentorum vim Socii explicuere, stupentibus qui aderant, & laudantibus: adeo ut Princeps, converso identidem ad Brachmanes suos vultu, diceret: Eia, quid vobis videtur? Illi conticescere, ac voces duntaxat istas proloqui, *Suami, Suami*; quæ verba Dominum aut Imperatorem significant.

Delapso interim ad Europam sermone, de illius Regibus, oppidis, bellis, de Summo Pontifice, plurima cupide rogavit; ac responsis Patrum magnopere delectatus, oppidum ubi Societatis domus cum templo poneretur; vectigalia, quibus alerentur, assignavit. Rogantibus ut sedem collocare Candegræ liceret, quò facilius ac sapius Regis conspectu fruerentur, paulum obtinuit, & cum Brachmanis demissa voce tantisper est locutus. Crediti sunt Regem, ne id concederet, deterruisse. Nam eorum aliqui disputare palam ausi cum Patribus & refutati, demonstrata fabularum anilium, quas rudi popello venditabant, inanitate, non sine pudore discesserant. Quod sapius ne accideret, si Patres in regia degerent civitate, vercbantur. Nihilominus hoc postea concessum à Rege fuit per eam occasionem, quam modo sum dicturus.

Cum sermo de religione ductus fuisset in multam noctem, redire Patres iussit postridie (tanta erat aviditas audiendi!) ac matutinis quidem horis: quod magnam habuit apud omnes admirationem. Ad eum enim & reliquos proceres aditus mane vix unquam patet. Sub vesperam duntaxat negotiis operam dant,

ac visunt inter se: tantaque est commentium tota nocte cum lychnis & facibus coneuratio, ut vincant tenebras, ac diem imitentur. Matutinum tempus somno totum tribuunt, & corporis mirifica cuidam exercitationi. Ea sic instituitur. Ingens conclave habent arenâ tenui constratum. In eo luctantur cum valentissimis juvenibus, hujus palæstræ peritis: mox depugnant hebetè ferro, vel sudibus innocenti pila præmunitis: pugnis etiam calcibusque tundunt inter se se haud molli-ter; aut immania denique pondera ab humo attollunt. Ita copiosum eliciunt sudorem, quo diffuentes artus in arena convolvunt, ac diu multumque versant. Jacentium sic pedes & brachia famuli distendunt summa vi, distorquent, infle-ſcunt; deinde oleo perungunt, & odorato latice calido ablaunt: demum extergunt pura sindone, ac vestiunt. Hac ratione vires & valetudinem sic tuentur, ut in senibus, annos septuaginta egressis, juvenile robur, & vernantis oris flos niteat. Itaque tam utilem palæstram, nisi gravissimis de causis & omnino neces-sariis, nunquam omittunt. Ea tunc est à Rege ac regni proceribus intermissa, ut Patres de religione differentes audirent. Explicatum divini Verbi, naturam humanam induentis mysterium; Hominis-Dei dignitas admirabilis exposita, Vir-ginisque Matris, quæ cœlesti feta partu, Orbi perditio Servatorem dedit.

Exarsit Princeps cupiditate illos, de quibus tam mira narrabantur, intuen-di; rogavitque num esset Patribus in promptu tabella picta, quæ Dei Filium ejus-que Matrem purissimam oculis exhiberet. Imaginem ejusmodi de industria Patres attulerant, in loco depromendam. Depromunt, & in bono lumine collocant, ut eminus etiam cerni posset. Hæſere omnes diu defixis in eam oculis. Rex vi-dendo laudandoque expleri non poterat; evocatisque pictoribus, percontatus est num exprimere imaginem imitando possent: & erat sane picta perbellè. Illis negantibus, quarit à rectore collegii S. Thomæ, num essent Meliaporæ pictores huic operi pares. Non deesse respondit. Addidit, eandem tabellam in templo commode reponi posse, quod Candegrii, si juberet, construeretur, & ubi sa-cra effigies ab indigenis æque ac Lusitanis coleretur. Subjecere Lusitani qui ad-sababant, nullam aptiorem inveniri posse rationem ad Christianos inſtitores re-giam in urbem invitandos, quàm si templum Societatis in ea poneretur. Placuit Regi consilium, & P. Simonem aspectans, Lustrabis, ait, urbem per otium; se-dem templo deliges: impensas Oboragius, & omnia necessaria suppedabit de meo. Gratiis impense actis, discessum est. Instabat enim hyems, & collegii re-ctorem negotia domestica revocabant.

Idem Rex, amplissima legatione ad Indiæ Proregem adornata, duos è Societatis sacerdotibus, qui Candegrii debebant, oratori suo comites junxit. Alium à suo latere discedere passus non est in eo bello, quod contra præfectum arcis permunitæ gessit. Acie congressus perduellem domuit, & recepta in arce Patrem manere jussit, ut præſidiarios milites erudiret. Benevolentiam Regis in Socios æquabat Regina, instititque summoperè ut sacram ædem Pallectatæ con-derent, quod oppidum Fano S. Thomæ vicinum, egregio portu & hujus oræ pulcherrimo commendatur. Brevi condita fuit, frementibus Saracenis, & miris modis ædificationem impedire conantibus. Nihil eorum apud Reginam preces, nihil Brachmanum querelæ valuerunt. Rex multum cum Patribus ac libenter erat: cumque pictis imaginibus plurimum delectari videretur, misit ad eum ex Urbe Præpositus Societatis unum è nostris fratribus, picturæ non rudem. Maximam Claudio Aquavivæ gratiam habere se Rex demonstravit: & oblatas Beatorum Ignatii & Xaverii imagines demiratus, easque non ita magno tempore ac labore confectas, ut pictor affirmabat, vix credens; Periculum, inquit, faciamus. Ille nihil in se moræ futurum respondit, statimque aggressus vultum D. Ignatii co-râm pingere, nondum exacta sesquihora vivum pæne ac spirantem in parata tela dedit. Crevit admiratio Principis: qui è conclavi pannum aureum depromens, artem pictoris præſenti dono muneratus est: quam ille pari successu in aliis ta-bulis pingendis exercuit. Inde captabant Patres occasionem explicandi abditissi-ma religionis mysteria, & Principem ejus amore inflammandi. Ardebant iidem conferere manus cum doctoribus gentis, idque Rex enixè cupiebat. Omnem

verò disputationem isti sedulo fugiebant, incitiae conscientia & innato fastu. Ad certamen invitati respondebant religionem gaudere tenebris ac silentio: ejus arcana vilescere cum vulgantur, Patres ex eorum libris eruere arcana illa decreverunt. Conscripti sunt isti libri proprio quodam & perdifficili sermone, qualis in Europa Græcus, aut Hebraicus est. Idem in aula viget, atque adeo Patribus videbatur necessarius, ut cum Rege ac proceribus agere commodius possent. Huic perdiscendo se totos dederunt.

45.
Nova expeditio
in regnum Bif-
nagarense sus-
cepta. Collegii
Tutucurinenfis
clades.

Ea Goam perlata, cum litteris P. Simonis Sà, magnos in animis nostrorum motus excitarunt. Omnibus Missionem præclaram certatim exposcentibus, delecti P. Emmanuel Veiga, domus Professorum præpositus; P. Gaspar Stephanus, theologiae professor; PP. Joannes à Costa, Petrus Eutitius, Melchior Cotinius, & Consalvus Monterius. At P. Emmanuel Campanellus, & P. Alexander Lenis urbem Chistapatanum in regno Naicheni Gingiani petierunt, ut ædem sacram ibi ponerent, cui B. Virginis à Spe nomen facere placuit, ac totum oppidum Archangelo Michaeli consecrare. P. Emmanuel Veiga Chandegrinum cum suis adveniens, ab Oboragio primum, deinde ab ipso Rege perhumaniter acceptus est. Neque solum factam ædificandi templi potestatem Rex confirmavit, sed etiam omnibus, qui Christianam amplecterentur legem, pristinos honores, bona & ministeria retinendi jus esse voluit. Fundum & aream ad sacra destinatam possidebat Regis uxor, Oboragii filia: quæ parentis hortatu libenter hac possessione, in gratiam Patrum, cessit. Anno MDC. cursum Evangelii paululum retardavit consternatio publica. Inciderat solis defectio in IV. Id. Quintil. Rex, aula, proceres cum populo, luctu ac dolore perditum, impasti & jejuni die toto perstiterunt, ejulantes miserabilem in modum, ac diris devotentibus draconem, à quo solem, cum deficit, vexari putant ac propè devorari; adeo ut non prius recipiat lucem, quam se ab ejus faucibus expediat. Hunc marorem de solis labore conceptum expulit anniversaria diei festi læticia. Unum è suis Numinibus præcipuis, Perumalem nomine, genitum vaccæ ferunt, eamque ob rem vaccas, tanquam affinitate cum illo junctas, habent in honore, iisque nemo vescitur. Id fortasse ortum ab Ægyptiis, apud quos vitulus Apis in Deorum numero colebatur. Tanta peregrinorum undique confluit multitudo, tanta diem festum munificentia celebrant, ut illorum dona ducentis aureorum millibus æstimata sint. Pars festi & pompæ potissima fuit, simulacrum Numinis triumphali curru devectum. Curram multa hominum millia trahebant. Rex primus rotas impulit: eas quisquis è populo poterat contingere, in cælo se esse credebatur. Patres de stolidi generis superstitione mæstos consolata sunt litteræ, quibus Trimalarraius, Regis Bifnagareni heres ac nepos, in suam illos urbem Sirangapatanum invitavit. Erant hunc in modum scriptæ. Mahamanda, Espara, Ramaraiu, Trimalarraiu, magnus Princeps, &c. epistolam hanc mittit Patribus Societatis Jesu. Accepi quas scripsistis ad me litteras, & intimo in sinu abdidi. Pergratus mihi erit vester in meam hanc urbem adventus. Hic locum templo ac domui vobis ædificandæ dabo: plurimis vos præterea beneficiis afficiam. Per Suami Ranganatam juro, perque pedes patris mei Ramaraiu. Cetera meus vobis orator exponet: properate.

Hanc lætitiâ rursus alius turbavit dolor. Septem in Oræ Piscariæ tractu, quem Paravæ incolunt, Societas habebat stationes, collegium etiam in urbe vicina Tutucurino. Nec solum adhibebatur cura in veteribus Christianis fovendis, sed etiam in parandis novis; quorum sexcenti è Saracenis ethnicisque ad Ecclesiæ pascua perducti fuerant anno MDCI. Exortus est crudelis dynastes, qui miseram gentem diris vexabat modis: sacras juxta & profanas evertebat domos, abigebat ex agris prædam, incolas in servitutem abducebat. Offensi tam injusta crudelitate Paravæ contrahunt copias; penetrant clam in arcem tyranni, & ipsum cæcis satellitibus obruncant. At Rex Maduræ, cujus ille cliens erat, exercitum in Paravas immisso, urit agros, excindit oppida, templis faces infert. Christiani sinistris attriti certaminibus, in propinquam littori insulam, Regum dictam, profugerunt; ubi hostium arcerent incurfus, loci natura tuti, quem hinc scopuli sub aqua latentes, inde angustum & periculosum fretum claudit. Gravissimè

ma pars hujus bellicæ tempestat in urbem Tutucurinum, & collegium Societatis detonuit. Domus direpta, comminutæ Cruces, aræ prostratæ. Sacerdotem è nostris unum, ab hoste comprehensum, reliquis in insulam Regum subductis, vix à barbaris ejus necem sitientibus Christiani redemerunt. Cum interim in eandem insulam undique confluerent, exstructum est oppidum, in eoque domus Societatis posita, quæ Tutucurinensis collegii jacturam utcumque pensaret. Lusitani præsidio insulam muniverunt, in qua tutissimum adversus maris procellas & hostium insidias receptum haberent. Maximis affici consueverant cladibus & damnis Parava per istos dynastas, & Regis Maduræ administratos: eaque data fuerat occasio instituendæ Missionis Madurensis, de cujus præcipuo fundatore, fructibus, & progressu admirabili, paulo uberius dicendum est.

ASIATICÆ intra Gangem peninsulæ, quæ Orientem spectat, partem amplam obtinet Rex Maduræ. Claudunt ejus regnum ab occasu montes Gata; ab ortu oceanus Indicus; à septentrione regna Gingianum & Tanjaoranum; à meridie apex promontorii Comorini. Parava, qui regni plagam orientalem, Oram Pifcaria vulgo dictam, incolunt, à regis, ut modo dicebamus, vexati præfectis, quorum avaricia nesciebat modum, & vehementer opus Evangelicum retardabat; ad Patres Societatis, qui S. Xaverio in eorum cultura successerant, confugerunt, ut gentis miseræ querelas ad Naikenum Madurensis deferrent. Vifa est Patribus occasio non aspernanda inferendæ in regni Madurensis interiora religionis. Ivit Maduram P. Gonsalvus Fernandes anno MDXCV. cum aliquot Lusitanis. Auditus à Rege clementer, ad eam sacram struxit ejus concessu; scholam pueris erudiendis aperuit; ad evellendam ex animis civium superstitionem totis decem annis incubuit, labore improbo, exiguo fructu. Domum etiam hospitalem curandis ægris condidit, ea spe fore ut Christianæ caritatis exemplo permoti Madurenses magistrum omnium & parentem virtutum religionem amplecterentur. Moribundos aliquot baptizavit. Vivorum avertit mentes & immotæ. Merore anni que fractus adjutorem & socium accepit anno MDCVI. P. Robertum de Nobilibus, quem divina Providentia Missionum Madurensis, Tanjaoranæ & Gingianæ fundatorem legerat. Is alta mente indolem gentis, & obices qui cursum Evangelii morabantur, contemplatus, viam paulo diversam inivit, qua mentes à Fide avertas cicuraret, Christumque cicuratis & preparatis infereret. Juvat hominem præclari consilii, quod successus felix & Superi auspices approbarunt, ducem, ab ineunte ætate propius attentiusque intueri.

P. Robertus Nobilius Romæ natus est anno MDLXXVII. ex illustrissima inter Italicas gente, quæ originem suam ad Othonem III. Imperatorem referebat, ut affirmant qui rem accuratius examinarunt. Ejus majores cum annis propemodum quingentis Urbeveteri consedissent, inde Montem-Politanum, ac denique Romam petierunt. Ab iis orti Pontifices Maximi Julius III. & Marcellus II. Cardinales Sfortia, & Bellarminus; aliique præstantes domi & militiæ viri. Hoc, ut postea dicemus, ad religionem in regno Madurensi stabiliendam plurimum interfuit. Neque id aliter in P. Nobilio commemorarem, qui Christiani hominis, atque adeo religiosi genus ac nobilitatem virtute solâ metiebatur. A parentibus mores optimos & studium pietatis hausit, quo incitatus ambiit Societatem, in eamque admittitur anno MDXCVII. honores fugiens, quos illi splendor generis & Romanæ curiæ favor ostentabat. Jam inde ab inito tirocinio acres ad Missionem Indicam stimulos subjici sibi sentiebat; in eaque defixus cupiditate, studia bonarum artium, quæ Neapoli; ac theologica, quæ Romæ confecit, ad hanc veluti metam dirigebat. Curæ fuit colligere quidquid ad errores ethnicorum confutandos idoneum deprehenderet; meditari secum & expendere quid ab iis objici, quid commodè responderi posset. Nec dubitavit postea confiteri, quæcumque contra religionem ab iisdem subtiliter & acutè opposita per annos quinquaginta audivisset, omnia fere prævisa jam tunc à se & soluta fuisse. Haud minor interim virtutis erat cura, quam litterarum: quippe cum probe intelligeret ad labores Apostolicos parum esse in doctrina momenti, si virtus absit.

His instructus prædiis adit Præpositum Generalem Societatis, & ei quid habeat

S. IX.

CHRISTI FIDES
IN REGNO MADURENSI MIRÉ
PROPAGATA.

46.

P. Robertus Nobilius, seu de Nobilibus, fundator Missionis Madurensis.

habeat in votis exponit. Aquaviva, præcipuis illum in Societate muneribus gerendis adhibere meditans, vota ejus in longum differt. Obnituntur acriter consanguinei, & exorant ne invitis ipsis discedat. Quanto hæc ad vincendum difficiliora videbantur, tanto impensius ad ea superanda exarsit. Usus erat magistro tirocinii P. Nicolao Orlandino: qui divina luce, ut suspicari licet, collustratus cognoverat Indiis deberi tironem egregium, in eoque mentem hanc aluerat. Is per id tempus Societatis Historiam scribebat in ædibus Professorum: & apud Aquavivam P. Roberti causam ita egit, ut Præpositus Generalis discedendi faceret potestatem, si per ejus parentes non staret. Quot lacrymis, quot precibus pugnatum ab iis est ut carissimum filium retinerent? Precibus objecit preces: lacrymas abstergere consolando frustra tentavit. Ut sensit obnixos non cedere, ad Beatissimam Virginem confugit, cujus in fidem ac tutelam se se jamdudum contulerat. Ea fretus parentes plena Numinis oratione aggreditur; gravem illis incutit metum ne moram divinis consiliis inconspicua caritate afferant. Mentem hanc non temerè nec leviter à se susceptam, sed monente atque instante Deo, cui repugnare nefas sit. Huic se consecratum; nec jam ipsorum, ac ne suum quidem esse. Quod si quid ad ejus majorem gloriam prosperè in Indiis gereret, mercedis partem & gloriæ ad ipsos magno fenore venturam. Victi hac oratione demum filio Deoque repugnare desisterunt.

47.

Indiam petit, ibique novam infinuandæ religionis viam tentat.

Continuo Nobilius Olisippone, inde in Indiam solvit anno MDCV. & Indicæ provinciæ Præposito, iter adornanti ad lustrandam oram Malabaricam ac Piscariam, comitem se adjunxit, lætus quod impressa quondam ab Indiarum Apostolo vestigia tereret, ac loca viseret ejus rigata sudoribus, nobilitata miraculis, virtutibus illustrata. Non potuit non laudare Christianorum pietatem, qui maritimum illud occupabant littus, pisces plerique. Horum in mentibus tanto post tempore vivebat adhuc memoria Xaverii; & in moribus sacer illi spirabat ardor, quem ipsis olim vir Apostolicus afflaverat. Verum ethnicos honestioris paulum modo sortis & conditionis, ad Christiana sacra perpaucos accedere miratus est, & fœdam in arvis tam bene cultis sterilitatem. Maduram profectus cum eodem P. Provinciæ præposito, Gonsalvum Fernandem idipsum queri ac dolere comperit: nec Fernandem tantum, sed alios etiam Societatis operarios in Bisnagarensi regno, in Gingiano, in Tanjaorano: qui è suis laboribus vix ullum, præter laboris & patientiæ, fructum colligebant.

Hæc secum attentè reputans P. Nobilius, causam ingrata sterilitatis investigare studuit. Hanc demum unam esse deprehendit, quod ea regio, ut reliquæ ferme Indiarum gentes, patrias leges & consuetudines tam obstinatè servet, adeo utiliter & sapienter putet institutas, ut eas qui contemnant, non modo viros probos, sed ne homines quidem esse arbitretur. Eas consuetudines quia parum curabant observare Prangui (sic Lusitanos appellabant) invisi honestissimo cuique, ac despicatissimi passim erant. Porro inter istas leges ea est celeberrima, quæ nobiles ab ignobilibus omnino secernit, nihil ut commune utrisque sit. Solis nobilibus auctoritatem ac jus docendi tribuunt: nec usquam æque atque apud illos valet illa viri sapientissimi vox *, *Primus discendi ardor nobilitas est magistri*. Præterea in iis, qui sacris præsent, & religionis pietatisque studium peculiare profitentur, qui Brachmanes & Saniassii nominantur, summam requirunt vitæ austeritatem, nempe ut à rerum humanarum & corporis contagio remotiores, propius ad Superos velut accedant. Addunt iisdem quædam insignia dignitatis. Brachmanes funiculos tres inter se confertos, & ab humero laevo ductos infra brachium sinistrum, cum suspensa interdum ex illis filis splendenti lamina, gestant: idque ornamentum linea vocatur. Saniassii, præter proprias vestes, alunt exstantes in summo capite cirros, id quod appellant codumbum. Hæc omnia valent ad populum conciliandum, qui vestium splendore, ornamentorum pompa, & speciei quadam externa ducitur. Univerfa gens distribuitur certas in classes. Castas indigenæ vocant. In prima & nobilissima continentur Brachmanes: quippe, ut ipsimet populo persuaserunt, prognati è capite Brummæ, supremi sui Numinis, & literarum ac religionis magistri ab eo constituti. Publicam rem administrare, tradere

*D. Ambrós. Lib. de Virgin.

dere nobiliores scientias, procurare sacra, versari cum Superis; has artes sibi partesque sumpserunt. His exercentur: alias, ut infra se positas, averfantur. Secundam nobilitatis classem occupant Principes, quos Raias vocant, & ex humeris ejusdem Brummæ natos prædicant. Ex ea classe magistratus, judices, duces copiarum leguntur. Tertiæ classi & quartæ adscribunt Chustres, ex ejusdem Brummæ pedibus ortos. Illi varios in ordines tribuuntur, semper aliquo gradu honestatis distinctos; exercent artes, etiam humiliores; tractant arma; faciunt mercaturam, & certis singuli privilegiis gaudent: ita tamen, ut quam cuique sortem aut ratio dederit, aut objecerit casus, illa contentus vivat, neque mutare officium, aut altiore ad gradum assilire fas sit. Jam, ordo ignobilium & populi sex innumerabilis est: Parias nominant; rude vulgus & abjectum, sed Evangelio tamen & regno Dei, ut eventus docuit, natum: quod postea cum nobilibus *angulari lapide Christo IESU* junctum, in unam cœlestis ædificii molem coaluit. Sed eò perveniri nisi pedetentim & arte multa non posse P. Nobilius intellexit: cumque per ignobiles feri gradus ad nobiles Christi Fide imbuendos non posset, civili quasi dissidio ab iis divisos; ducendum a nobilibus initium putavit, qui Christiana humilitate instituti demitterent se deinde ad infimam plebem, & inusitam illi per iniquissimas leges infamiae publicæ notam aliquando forsitan abolerent. Hæc enim tam alte animis insita est, ut excidant viri nobiles ordine suo & nobilitate, si cum infima gente versari deprehendantur. Occursum immundæ plebis, ut omen sinisterum, vitant: neque ad ministeria domestica famulos, nisi nobiles, adhibent; ne plebeie manus ignobilitas suppellectilem inquinat, ac tractatis dapibus saporem impurum allinat. Quod si quis in turba, ut fit, ab aliquo vili capite tactus leviter fuerit, non prius inire domum sustinet, quam totum corpus aqua purgaverit. Eisdem Parias templis arcent, vixque in vestibulo & adjunctis porticibus consistere patiuntur. Nec loco tantum fecerunt insignes ab imis, sed veste ac cibo. Lactis, oryzae, leguminum, usus censetur illic honestissimus, & Brachmanis ac Saniallis conceditur. Carnem, præsertim vaccinam, vinum, & quidquid ebrietatem affert, detestantur, & ad Parias ablegant. Veritas etiam est usus omnis & societas inter superiorem aliquam castam seu classem, & inferiorem. Quælibet casta suis legibus propriis utitur, & magistratibus; penes quos potestas summa plectendi quemcumque cognoverint contra leges aliquid admisisse, illumque gradu & loco movendi: quo supplicio nullum irrogari majus apud eos potest. Ejectus enim casta deseritur à domesticis, destituitur ab uxore & affinibus, tanquam de cœlo tactus, vel pestilenti afflatus auralibet habentur pro spuris; publicantur ejus bona; illi demum igne & aqua interdicuntur. Infamis, impius, Superis hominibusque invisus errat; ac sæpe sibi violentas manus affert, ignominia impatiens.

Has Madurensium leges, hunc hominum, ciborum, classumque discrimen, ac præsertim nobilium à vulgo secretionem, cum Evangelii præcones Europæis moribus assueti negligerent, nemo illos congressu, sermone, aditu, ac ne conspectu quidem dignos existimabat, præter istos fortasse Parias, qui illis tanquam hominibus despiciatis ac sui similibus familiariter utebantur. Hinc religionis Christianæ contemptus ingens, quam, ut Pranguorum & Pariarum religionem, horrebant. Christum vero, ut vilissimæ gentis Deum, ac ne Deorum quidem in numero censendum putabant. Sane inter Maravas ac Paravas non pauci legem Christianam profitebantur: sed cum essent illi ex infima casta, & vile piscatorum genus, nemo paulum modo honestior ad eos accedere, aut illorum amplecti sacra audebat. His munimentis *fortis ille armatus custodiebat atrium suum* *. Videbat Evangelium induci Maduram, nisi ab Europæis, non posse. Illos tanquam mortalium abjectissimos, honestatis omnis, doctrinæ, ac bonæ mentis expertes proposuerat. Res ipsi cedebat ex voluntate. Ambitiosum quippe genus homines sumus, & jacent ubique res vel optimæ, si nullo in honore ac pretio sunt. Tum quis, constituta famæ, dignitatis, & vitæ jactura, si commercii quidpiam cum Europæis haberet, eos adire, andire, sequi sustineret? Sic aditus omni religioni veræ in Madurensi regnum, & vicina bene multa, clausus arte nova Erebi tenebatur.

48.
Cur Evangelii præcones olim judicio Madurensium viles ac despecti.

* Luc. XI.

batur. Arte nova fuit recludendus. Hanc, Deo, ut credere est, duce P. Robertus de Nobilibus excogitavit. Certiorem consilii sui Patrem provincie Præpositum facit. Consulit Cranganorensem Archiepiscopum, & viros eruditissimos. Docet nihil hætenus profectum in Missione amplissima, quia remedia malo consentanea non fuerant apposita. Rem alia via tentandam, quam speraret successuram. Serviendum parumper miseræ nationis imbecillitati & moribus, quoad religio pietasque pateretur: donec illustrata cœlesti luce disceret aspernari humana, & divina consecrari. Utendum ipso mortalis gloriæ ac superbiæ luto, ad oculos cæcorum aperiendos*.

* *Lutum fecit & sputo, & aperuit oculos meos.*
Joan. cap. 9.

49.
P. Nobilius nomen suum inter Brachmanes proficitur, ac docere incipit.

Provinciæ præposito & ceteris, quos tanquam divinæ voluntatis interpretes habebat, probantibus, Maduram venit, regni caput. Depositis Europæorum vestibus, sumit cultum & ornamenta Brachmanum: proficitur austeritatem Saniassiorum. Nec solum austeritatis & pœnitentiæ nomen ac vultum, sed ipsam rem ac vitæ difficillimæ asperitatem omnem induit. Vescitur oleribus & oryza, semel in die; abstinet carne, piscibus, ovis, vino & ebrioso quolibet liquore; omnia vitæ oblectamenta respuit. Hunc in modum transformatus abdit se in domunculam è cespite, more Brachmanum: illorum instituta omnia cærimoniasque cognoscit: linguam vernaculam, dictam vulgò Tamulicam, quæ latissimè pertinet, addiscit; in eaque tantum proficit paucis diebus, ut natum in ipsa urbe Maduræ & educatum jurasset. Addit Badagicam, qui principum & aulæ sermo: denique Grandonicam, sive Samutradam, quæ lingua eruditorum est; ceterum tot obsita difficultatibus, nulli ut Europæo bene cognita fuisset ad eam diem, atque inter ipsosmet Indos plurimum scire videantur, qui hanc utcumque norint, etsi aliud nihil norint. Hoc sermone conscripta sunt monumenta doctorum, arcana religionis & mysteria: quæ cum novus Brachmanes ignorare nefas duceret, linguæ asperrimæ salebras omnes improbo labore & invicta constantia superavit. Ubi maturum operi destinato adesse tempus vidit, prodit in lucem oculosque civitatis, & se Brachmanem ac primæ classis nobilem professus, famulum nobili natum pariter loco domi tenet: fugit consortia Pranguorum & vulgi: Brachmanes ipsos ac Principes invitat ad cognoscenda novæ theologiæ mysteria. Mirari omnes ubertatem nitoremque sermonis, eruditionem suspicere, amare comitatem. De nobilitate nihilominus inquirere, in quo uno rei summa vertebatur. Proferendi fuere testes idonei, edendum jusjurandum, publico scripto & instrumento consignanda testimonia: nihil omisissum ut ejus natales & stirpem certis argumentis exploratam haberent. Ut percrebuit fama Christiani nobilis Principisque, commovit se tota civitas. Proceres, Brachmanesque studio visendi & auscultandi, domum ejus convenere. Illos neque omnes, neque horis omnibus admittebat. Quo difficiliorem faciebat sui copiam, eo cupidius expetebatur. Sic enim Indi sunt: ut quidque inventu difficillimum, ita maximi esse pretii arbitrantur. Aurum, inquirunt, uniones, gemmæ & alia id genus in tenebris abdita, & ab hominum conspectu remota delitescunt, nec nisi labore magno eruuntur. Adeuntes ad Romanum Saniassium (id enim sibi nomen imposuerat) famulus interdum excludebat; quod intentum precationi herum diceret, ac rerum cœlestium contemplationi. Salutatus officii causa, non prodibat ut resalutaret: id amplum ducunt viri Principes ac doctores Malabarici. Hos tamen mores nescio qua urbanitate sic temperabat, ut arrogantiam notam effugeret. Crevit inde admiratio, & major ex hac solitudine tenebrisque reverentia. Jam Principis illi ac doctoris nomen illustre fama tribuebat; ejusque spectandi cupiditate Rex Madurensis incensus est. Renunciatum Regi fuit hominem domo nusquam prodire in publicum, ne cujus mulieris aspectu contaminaretur. Maximam Regi admirationem ea laus castitatis movit; nam virtutem hanc tanto magis venerantur, quanto minus colunt.

50.
Brachmanes disputando victi, & ad Christum adducti cum plerisque nobilibus.

Inter Brachmanes à quibus audiri jam libentius cœperat, quamvis non sine invidia reliquorum, nactus unum paulo modestiorem, eum sibi arctius conciliavit, explicandis aliquot naturalis philosophiæ ac mathematicæ arcanis: mox eidem Symbolum Apostolorum, in aulicam linguam convertendum, dedit. Rerum novitate

vitæ perculsus doctor ethnicus, legere illud attentius & meditari aggressus est. Cum tamen explicare ac dissolvere quæ sibi objiciebat ipse, non valeret, interpretem & magistrum interrogavit. Latus occasione data vir Dei statuit in illo experiri quidquid, aspirante gratia cœlesti, posset; haud dubius quin, victo Brachmane uno, ceteri, atque adeo totus nobilium ordo, magistrorum admirator cultorque, sequeretur. Ergo adveniens excipit eomiter, & in mediam dimicationem non invitum rapit. De Deo, quod est religionis primarium caput, disputatur, ac statuitur Deum posse omnia, & principatum in res ceteras obtinere. Quæsitum deinde, unus an plures essent. Brachmani plures affirmanti nominantique singillatim: Quos tu mihi Deos, inquit Pater, narras, qui Deum posse omnia, & omnibus superiorem confessus fueris? Duos enim si ponas Deos, aut pares erunt inter se, aut alter dicitur altero inferior. Si pares, neuter Deus erit, qui jus nullum in alterum habeat: inferior vero qui altero fuerit, is omnino Deus ac jure negabitur. Eadem ratio facile contra plures Deos valere demonstrata est. Ventum deinde ad mundi originem, de qua longior fuit altercatio: id enim persuasum habent, nihil ex nihilo posse fieri. Quamobrem duplicem statuunt materiam, sive duo rerum principia: unum unde animæ formantur; alterum, unde corpora. Errorem in ipso fonte præcidiit catholicus Theologus, docuitque fieri aliquid posse ex nihilo, cum id maxime conveniat summæ potentiæ, nullis limitibus definitæ; pertineatque ad laudem artificis, ut materia nequaquam indigeat. Deinde materiam illam primigeniam pluribus argumentis exagitavit, quam à nemine creatam dicere Brachmanes cogebatur: qui licet ingenio fretus petitiones adversarii declinaret interdum, vim tamen urgentis philosophiæ omnino sustinere non poterat.

Inde sermo delapsus est ad animarum ex aliis corporibus in alia transmissionem: quod veteris Pythagoræ placitum tenent mordicus, ac tribus vulgo argumentis probant. Primum ducunt ab hominum inter se diversitate, quorum alii reges, alii mediastini sunt: alii corpore atque animo distorti, nec multum belluis absumiles; alii utroque præstantes, & numeris omnibus absoluti. Hæc porro discrimina nihil esse aliud volunt, nisi supplicia priorum, quæ quisque in alio corpore admiserit, delictorum; aut rectè factorum præmia. Alterum argumentum petunt ex ipso discrimine peccatorum, ac virtutum. Censent perditis ac facinorosis hominibus hanc esse constitutam pœnam, ut illorum animæ in sordidi animalis, puta canis aut porci, corpus, tanquam in ergastulum compingantur; donec certo annorum orbe confecto, scelerum pœnas exolverint: animas vero piorum in regum, Brachmanum, aut hominum inferioris fortis commoda corpora transfirare. Tertium sumunt argumentum ab animalium sollertia, in quibus elucent vestigia rationis, adeo ut animas illis inesse appareat rationis compotes; licet crassa & bruta mole corporis imperfecti præpeditas. Singulis argumentis respondit Nobilius, ac potissimum ostendit, quis animabus hominum præstitutus a Deo sit finis; tum, unde oriatur illa conditionum ac morum in republica humana varietas; unde sagacitas belluarum. Quæ cum exponeret sacerdos eruditus, & abstrusa divinæ pariter ac naturalis scientiæ penetralia recluderet; obstupescens Brachmanes, agnovit doctorem, seque discipulum ultro & Christianum est professus. Christianorum tamen sacramento nisi post dies viginti initiatus non est. Magni enim referebat hunc erudiri plenius, qui alios deinceps erudiret, & ex quo postea specimen religionis Christianæ caperetur. Res è sententia cecidit. Paucis post diebus ejus frater ad Christum accessit, mox alii atque alii è nobilitatis flore, imo ex aula ipsa.

Successus tam repentinus hostes humani generis conturbavit. Protinus felicia disturbare cœpta moliantur, & ad arma veluti conclamant. Brachmanes ille, quem primum omnium pio additum gregi diximus, usus fuerat antequam nomen Christo daret, clarissimo inter Brachmanes magistro, & ceterorum velut antistite. Is mutatum discipulum persensit. Objurgat illum graviter, & explicare sibi quædam recentis doctrinæ placita jubet. Ea cum cerneret à suis effatis immane quantum abhorrentia, magnum tamen quiddam & excelsum in iisdem, veluti per nebulam

dispiceret; mirari primo, tum auctorem ipsum velle cognoscere. Quorsum hoc evaderet vehementer timebat P. de Nobilibus. Quippe doctor ethnicus tanta apud ipsum Regem erat auctoritatis, tanta apud populum fama, ut magnam bene inchoatis rebus afferre moram posset. Sed Deus in manu sua doctorum mentes, ut Regum corda, esse demonstravit. Nobili ac numero discipulorum grege lucinctus, & inflatus opinione doctrinae, ad Patrem accedit. Sedetur, dimicatur, Hinc veritas & eruditio; illinc male cerussatus error, & fabularum dives vetustas pugnant. Mussitant solliciti discipuli, utri victoria palmam adjudicet. Vicit errorem denique veritas; novitas Evangelica fabulosam vetustatem. Assurgens Madurensis doctor laudavit adversarium, & ad discipulos conversus, fateri palmam non erubuit, quaecumque de Cokanada (Madurensium numen est) docuisset, mera esse commenta: veritatem penes Christianos esse. Mox pristinum discipulum nominatim compellans, hortatus est ut in suscepta religione perseveraret; summumque ipsi ac P. Roberto patrocinium prolixè detulit. Ita qui Christi Fidem everfurus putabatur, maximo religioni praesidio & ornamento fuit.

51,
Nobilis vestis
Saniafforum,
cum titulo Gurui
sumit. Reli-
gionis fausti
progressus.

Hic ille est, quo potissimum auctore P. de Nobilibus vestem Saniafforum induit, quorum austeram vivendi rationem jam profitebatur. Habentur illi eodem apud Indos loco ac numero, quo apud nos religiosi viri severiorem vitam & poenitentiam consecrantes. Eiusdem vulgo sunt, atque Brachmanes, classis, sive casta & nobilitatis. Vetita ipsorum legibus omnino Venus. Tota vivendi ratio modesta: tunica nempe talaris alba, in flavum colorem vergens. Imponitur tunica brevius amiculum è subtiliori panno: humeros rubra cingit fascia, qua deinde collum amplexa, supra pectus decussatim labitur. Cum domo prodeunt, altera manu gestant vasculum aquae purae, qua corpus identidem ablunt; altera bacillum oblongum, in signum magisterii. Tegmen capiti pannus in orbem seicè convolutus praebet. Nudis semper pedibus ingrediuntur. Plantis lignea solea paulo altior substernitur. Affixus extremae illius parti exstat capitatus è ligno clavus, quem inter priores duos pedis digitos inserunt. Ita solem applicant adstringuntque plantae, adeo ut elabi & excidere non possit. Hunc Saniafforum habitum putavit Nobilius religioso, qualis erat ipse, viro maxime convenire. Consilium Archiepiscopus Cranganorensis & praecipui Societatis Patres approbaverunt. Deinde, quia solent Brachmanes, cum inter Saniaffos nomen proficentur, funiculum aureum, quem è collo demissum gerunt, in signum videlicet nobilitatis, frangere, ut se nuncium rebus perituris & seculi superbiae remittere significent; eundem Nobilius quoque deposuit. Sed tunicam demisit infra genua, ut modestius, quam solent illic Saniaffii, tegetetur. Summam quoque bacilli, quod a Saniaffis gestari diximus, partem in modum exigui vexilli conformavit: id, opinor, innuens, se vexillum Christianae legis & Evangelicae militiae attollere. Ut vero majorem docendi facultatem haberet, nomen Gurui ac titulum sumpsit, qui Brachmanis & Saniaffis tribuitur, cum docendi munus suscipiunt. Sunt enim Gurui proprio quodam munere atque instituto doctores gentis, & sacrae pariter ac profanae scientiae magistri. Hoc titulo auctus scholam nobilem aperuit. Hac illustribus referta brevi discipulis fuit, qui ter prostrato corpore, mox impositis capiti manibus, magistrum venerabantur. Audiebant dicentem summo silentio (quot enim verba, tot edere ferebatur oracula;) nec minori voluptate: quippe vernaculae gnarum linguae, nemo ut Brachmanes commodius elegantiusve verba faceret. Praeterea illorum poetas, quibus plurimum tribuunt, accuratè pervolutaverat, & mandatos memoriae proferebat versus: unde ad probandam illustrandamve religionem argumenta ducebat tanto validiora, quanto propiora, & veluti domestica. Praeter cetera hoc habebant Pythagoreum isti Gurui, quod suos discipulos diu tacitos ac silentes tenerent, nulla ut esset ipsis loquendi vel disputandi facultas, auscultandi magna. Hac arte mirifice usus est doctor Christianus, ut abdita & humanis inaccessa mentibus mysteria promulgaret. Valebat hoc unum ad faciendam abunde fidem: *Ipse dixit* *. Pauca sub initium, & singulari modestia, loquebatur: at ubi mediam in disputationem erat ingressus, tam eleganter

* A' v' d' e' q' a.

ter ac splendide differebat, neminem ut hactenus ita locutum prædicarent; & qui doctoris fama permoti accesserant, majorem fama esse faterentur. Id studebat in primis, ut contemptum Christianæ religionis, quo erant imbuti, elueret. Hanc cœlestem, hanc divinam aiebat esse legem, non Pranguorum duntaxat aut Lusitanorum, sed Principum, Regum, Imperatorum; sed omnium omnino mortalium, quicumque salvi & beati esse vellent. Nobilitatem, ea suscepta, non amitti, sed perfici & illustrari. Nullam tamen ab ea conditionem excludi: solis ritu; qui pauperum casus, & Regum palatia, eodem vultu aspicit. Facturum ineptè nobilem, qui lucem respiceret, quia plebi etiam communis est. His jactis disciplinæ suæ fundamentis, florentem Ecclesiam extruxit; quæ etiamnum verissimam nascentis Ecclesiæ speciem refert; ac centum quinquaginta Christianorum millia, & amplius, cœlestem in terris vitam viventia complectitur.

Ubi primum de Christiana lege ad salutem necessaria rumor est sparsus, omnes illico ejus cognoscendæ studio flagraverunt. Cupiditatem hanc ipsi gentis doctores accenderant. Quippe qui docerent exstitisse olim quatuor in hoc Indiæ tractu leges, seu colendi Dei vias: ac tres quidem cognosci adhuc & vigere, quas ipsi suis in scholis traderent; quartam vero legem, spiritalem totam, quæ rectè perduceret ad beatam immortalitatem, aiebant vel omnino periisse, vel ita esse occultam & reconditam, ut indagari vix posset. Hinc duo nata quasi divortia opinionum apud illos, & morum. Alteri enim, quia nullam salutis esse spem sibi arbitrabantur, omnem beatæ vitæ, ac virtutis proinde consequendæ, curam abjiciebant; in vitia & libidines pecudum instar effusi: alteri curam & cogitationem desigebant in vestiganda illa, quæ latere dicebatur, salutis via & lege; seque jejuniis, precationibus, & voluntariis pœnis discruciant. Hoc ubi cognovit P. Robertus de Nobilibus, prædicare palam ac fidenter cœpit, repertam tandem illam, tot optatam votis, tot seculis ignoratam, spiritalem, certam, admirabilem, salutis æternæ ac vitæ adipiscendæ viam. Auditus est, & creditus. Facta momento incredibilis morum, sententiarum, atque hominum, mutatio. Quidquid in castimonia nitore est, in injuriarum tolerantia constantiæ, ardoris in meditatione rerum cœlestium, in aliena miseria sublevanda clementiæ ac liberalitatis; hoc in moribus Neophytorum eluxit. Spargebatur facer ille, quem in preparatis pectoribus Divinus Spiritus accendebat, ignis latius in dies, & cœlesti quodam incendio vicina pariter ac remota corripiebat. Ipsi gentis primores, animos & curas Apostolorum induebant; nec turpe sibi ducebant esse doctrinam salutis explicare rudioribus, iisque verbo simul & exemplo præire. Non defuerunt prodigia, quibus irrigata cresceret Fides. Restituta sanitas ægris, levati parturientium dolores, sacrarum reliquiarum salutari contactu; propulsata, signo sanctissimæ Crucis varia pericula.

Blandior hæc erat malacia, quam ut esset diuturna. Neque vero crux abesse grandibus pro divina gloria inceptis potest. Necessaria est tum viris Apostolicis materia patientiæ, quæ virtutem illorum, velut ad obrussam purget ac decoquat: tum ipsi religioni, ut radices altius, dum sævit hyems rigida persecutionis, agat. Brachmanum pars major, offensa dudum quod cultus Deorum, unde quæstum ingentem faciebant, paulatim exolesceret, fremebat in P. Nobilium. Accidit ut æstas arida jejunam daret messem, & graviozem annonam faceret. Arrepta occasione, clamitant iratos Deos; neque placandos, nisi ejectione novæ legis doctore; tandiu dum ille audiretur, nihil Regi, nihil populo tutum & pacatum fore. His sermonibus incendunt urbem, commovent proceres, magistratum ad sumendas de Numinum hoste pœnas sollicitant. Accusationis capita sex erant. Primum, quod nullos coleret Deos. Alterum, quod Trimurtim, sive Trinitatem, derideret. Quippe trinum quoddam Numen, seu potius monstrum triceps, Brachmanes fingunt, Brumman, Vichnum, & Rutrenum, rude vestigium veræ sanctæque Trinitatis, cujus mysterium constat in his oris fuisse ab Apostolo Thoma prædicatum; simulque promulgatam Christianam legem, eam ipsam, ut apparet, quam deperditam narrabant. Tertium crimen, quod Cokanadam aris deturbaret. Hunc inter præcipuos numerant Deos, & mundorum XIV. architectum,

52.
Procella in P.
Nobilium concitata. Crimina illi objecta.

ponunt. Quartum, quòd publicè docendi jus sibi arrogaret. Quintum, quòd operà Brachmanum ad ministeria domestica uteretur. Sextum, quòd arcana religionis mysteria rimaretur, & Brachmanum reconditas litteras cognoscere tentaret. Ea crimina in grandi codice descripta ostentabant: tantusque terror injectus est P. Roberti familiaribus Brachmanis ac domesticis, ut omnes, præter unum, diffugerint. Enituit ibi divina Providentia. Si enim ille cum reliquis aufugisset, imposita necessitas fuisset P. Nobilio aliorum, quàm Brachmanum, operà utendi ad rem familiarem procurandam. Quo cognito, pristinum dignitatis gradum & omne jus in posterum docendi perdidisset. Suadebant amici fugam & latebras; aut etiam necem, sponte ac minori subeundam inter privatos parietes ignominia. Restitit animo præsentis & interrito. Fugam intelligebat offensionem fore Christianis, quos ad profectandam vel certissimo capitis periculo Fidem solebat excitare. Videbat illud etiam, adversarios multo atrocius in absentem, aut latitantem, declamatos: imo ipsius everfuros domum, detrimento irreparabili. Nec desperabat dandum defensionem locum; quem si nancisceretur, fore omnino confidebat ut causam vinceret. Postremo, si pereundum esset, non posse in tam bona causa mortem non gloriosam obvenire.

Postquam hæc sententia stetit, divina primum, orando seque voluntariis poenis afflicto, præsidia quæsit; deinde etiam humana, ne quid in tanto negotio negligeret. Hermechettus, gubernator civitatis, summa valebat apud Regem gratia, idemque P. Nobilium singulari benevolentia complectebatur. A quo factus de Brachmanum conspiratione certior, vocatos accusatores ita perterrefecit, ut parata crimina in jus deferre ausi non fuerint. Sed quod agere coram magistratibus prohibebantur, hoc in Brachmanum celeberrimo confesso moliri decreverunt; ut accusato coram legitimis religionum iudicibus convictoque reo, ad ipsum Regem causa deferretur. Octingenti diem ad festum convenerant. Senior, ceterorum antistes, incipit. Neminem vestrum latere arbitror quantum patriis sacris impendat periculi, si peregrinum doctorem diutius abuti negligentia nostra patiamur: nec laudari satis potest multorum ex iis, quos hic intueor, pietas; qui manifesta nocentissimi capitis flagitia nuper collegere, ut palam exposita populo, magistratui cognita, merito supplicio plesterentur. Negotium nescio quis, ab illo præstigiatore fascinarus, discussit. Eo nos intentius advigilare par est, ne quos præterea inducat in fraudem, neve doctrina peregrina, dum silemus, valeat. Quamquam profanos homines & imperitum vulgus ab eo seduci minime miror: illud miror, ac deplorare satis nequeo, quòd in hoc ipso cœtu, ex hoc virorum gravissimorum, quorum fidei concredita religio est, confesso quempiam reperire sit, qui mysteria illi nostra non dubitet aperire; qui se vilissimi hominis familiaritate inquinat; qui, verbo dicam, illius magister esse non erubescat. Aderat re ipsa Brachmanes, ex quo Nobilium religionem gentis ac Brachmanum arcana cognoverat. In eum oculi omnium & ira subito conversa. Ille assurgens, & pauca prudenter ad conciliandam benevolentiam præfatus, affirmavit perceptam sibi Patris nobilitatem, doctrinam, vitam: atque adeo sibi non posse obijci hominis familiaritatem. Gloriosum Madurenfibus Brachmanis esse, quòd Europæi doctissimi se in eorum disciplinam traderent. Non repudiandum si quid aut formandis ad virtutem moribus, aut colendis pie Superis exterorum industria vel pietas invenisset. Non potuisse se in multis non assentiri huic Romano Saniaffio, ita rationi consentanea ejus responsa videbantur. Ab eo, inquit, sum percontatus quid esset ad sempiternam vitam præsidii & opis in corpore abluendo, aspergendis capiti cineribus, peregrinationibus ad templa suscipiendis. Respondit hæc, si sola essent, ad vitam beatam parùm conducere, quæ in animi exercitatione, ac potissimum in veri Dei cultu, cognitione, & obsequio consisteret: eos qui, contempta virtute, corpus in Gange millies abluerent, qui se demergerent in pelagus ad Ramanancorianas cautes, qui barbæ partem & capillorum festis diebus reciderent, beatæ ac sempiternæ vitæ compotes idcirco nunquam futuros.

Multa ejus generis defensor egregius attulit; quæ a nonnullis probata, cœtum omnem in partes contrarias & opposita studia secuerunt. Atenim, inquiebant aliqui,

aliqui, solusne tandem iste Saniassius sapit? solus religionem veram obtinet? nos animæ viles, indocta & abjecta turba, sempiterno sumus exitio destinati? Negavit Nobilii patronus ita esse, si animum inducerent colere verum, quem norant, Deum: ac plurima in hanc sententiam, quæ à Patre didicerat, oratione plausibili & ardore tanto disputavit, ut ipse se miraretur. Perturbati hac defensione, ac discordibus pugnantibus sententiis; plerique etiam doctore peregrino equiores, discesserunt.

Alii, quorum numerus major, & patrii moris tenacior, novam & potentior rem paulo post machinam fabricati sunt. Religio victrix caput efferebat altius in dies. Alumnos veritatis angustia templi non capiebant: novum P. Robertus ædificare constituit. Facultatem ædificandi, locum, sumptum, præbuit Hermenchettus, in amplissima & pulcherrima civitatis regione, cui præerat. Humus aperitur, jaciuntur fundamenta, cæmenta convehuntur. Hoc aspectu furor impiorum gravius exarsit: lege palam agunt. Solum, in quo sacra ponebatur ædes, suum esse, idolique Cokanada, pugnant. Intermissa paulisper est ædificatio, iudiciis religione commotis. Urget rem acriter insanus mystes, agminis impii dux: vetera maledicta celebresque nãnas refricat. Sed hominem validiore machina P. Nobilius compefcuit. Mittit è suis discipulis unum, qui pecuniæ summam offerat commendando, ut aiebat, solo & aræ, de qua lis erat. Auri fulgore præstrictus sacrificulus, ubi præsentibus tacitam in manum congeri blandè nummos sensit, locutus est multo mitius; deinde obmutuit: postremo ceteros sodales suos aliqua numerorum parte delinitos facillime placavit.

Mitigatis hostibus religionis crexit se neophytorum pietas, & Christi gregem, cui Brachmanum potentia nonnihil terroris ac damni attulerat, soboles numerosa supplevit. In eum admitti pridem ardebat vir genere opibusque pollens, & familiari cum Romano Saniassio consuetudine conjunctus. Pater certis de causis ejus vota, licet flagrantissima, in longum ducebat: neque periculi quidquam esse videbatur in mora, ut hominis erat ætas ac valetudo. Ecce autem ad X. Kal. Novembres anni MDCVIII. trepidus adest famulus, herum animam agere. Advolat Nobilius. Reperit motus omnis ac sensus expertem; nisi quod ægrè anhælans veluti faucibus constrictis opprimebatur. Conspergit jacentem aqua sacra; particulam sanctæ Crucis theca inclusam admovet collo: demum, id quod æger sapius optaverat, baptizat. Mirum! quasi revocatus è media nece, surgit; & ad Patris pedes provolutus, Quod vivo, exclamat, tuum est, mi Pater. Roganti quid accidisset, Priusquam venires, inquit, in hoc subierant conclave tria hominum, monstra, fuliginosa, tetra, horrida: Tartari, credo, satellites. Unus invasit fauces; alter crura comminuebat; tertius vociferabatur, Properate, mactate, perditæ. Ut venisti, ut mihi sacrum hoc amuletum admovisti, fugam præcipites rapuerunt. Vitam & salutem tibi, secundum Deum, acceptam fero. Atqui, subjecit Nobilius, Christianorum etiam sacramento initiatus es. Et id scio. Videbam quæ faceres, & assentiebar; etsi vocis mittendæ potestas non esset. Idem post paulo in gravem incidit morbum. Rogatus sacerdos divinam rem pro ærotante fecit. Vix peracto sacrificio morbum depulit: ac statim erudire familiam & Christo adjungere laboravit. Plerosque alios fama tam præsentis miraculi à vitiiis & superstitione abduxit. Sculptoris insigniter enituit post baptismum Fides. Ejus uxor ægrè parturiens cruciabat. Auctores erant ethnici, ut veneficos accesseret patrio more. Quibus ille: Egone ut impiis utar carimoniis, & honorem diabolo adhibeam? Perire uxorem & prolem malim, quam hac arte servari. Crudelitatem exprobrabat uxor, seque mori miseram mariti culpâ clamitabat. Imò, subjecit ille, vives, non meâ sed veri Numinis ope; quam certis precibus, a Guruo Christianorum traditis, implorabo. Et positus humi genibus precationem, ab Ecclesia solitam laborantibus feminis adhiberi, recitat. Nondum absolverat, cum uxor masculam prolem incolumis edidit. Hortantibus amicis ut puero nomen idoli cuiuspiam imponeret, Avertat Deus, ait, ut baptizandus puer diaboli nomen gerat: imponetur illi a Christianorum Guruo, cum sacro fonte tingetur. Vos vero, videte quid agatis, & quæ vobis vitæ spes ac salutis æternæ sit. Hunc in modum exorsus, magnifice disseruit de religione Christiana; solebatque affirmare, nullam

53.
Christi greges & numero & virtute augetur.

nullam sibi vim adhiberi tantam posse ut a lege divina descisceret; neque audiendum a se, vel ipsum Christianorum Guruum, si aliter doceret. Tanta erat in suscepta Fide animi firmitas ac fortitudo!

54.
Brachmanis
Christiani pec-
catum, & peni-
tentia.

Defuit hæc in virtute constantia neophyto Brachmani, quamquam lapsum illustri pœnitentia sic emendavit, ut profuerit quodammodo cecidisse. Annos tantum duodeviginti natus Christo nomen dederat, excellenti præditus ingenio, & indole ad summa quaque, seu virtutis partes, seu vitii amplecteretur, proclivi. Quamobrem totam Christianæ doctrinæ perfectionisque rationem celeriter arripuit, nec segnius aliis tradidit, præsertim matri. Hanc Brachmanes omni obsequio demereri conabantur: quippe sumptum ulro in solenne sacrificium Cokanadæ offerri solitum, faciebat. Permota filii sermonibus nefas duxit alere cultum impium suis fortunis; & Brachmanes consuetam expectantes offam lufit. Efferati repulsâ minantur certam ab irato Numine ultionem. Neque inanes abierunt minæ. Vexata potentibus veneficiis mulier sensit se percuti graviter ignota manu; & ad terram affligi. Mox difficili correpta morbo diu jacuit. Glifcebat mali vis, & ad ultimum spectare discrimen videbatur. Aduit Alexius (id Christiano Brachmani nomen) cum sacrarum reliquiarum theca, quam a Nobilio sumpserat. Eorum salutari contactu erexit matrem, & salvam atque incolumem brevi præstitit. Quo prodigio victa baptismum rogavit.

Erat Alexio frater, fratri longè dissimilis; deditus idolis, divinæ legis contemptor, meretriciis amoribus implicatus. Sæpe admonitus à fratre, à matre graviter objurgatus, hærebat in eodem cœno: nec fraternæ monita, nec maternas objurgationes audiebat. Recurrit mæsta parens ad B. Virginem, de cuius apud Deum singulari gratia, & in mortales benignitate disferentem Alexium non semel audiverat. Vovet se ornamenti quidpiam ejus aræ addituram, si filius revocetur ad frugem. Subito mutatur adolescens, & in gyrum rationis ac pudicitie reducitur. Nec satis: odium & contemptum Christianæ religionis exiit; idola detestatur; & profligatæ vitæ sordes exlesti fonte purgat ipso Virginis in cœlum Assumptæ die. Haud ita multo post oblata est illustris occasio probandæ constantiæ. Festa lux regis in ædibus agebatur, ad quam aulæ proceres jejuniis certisque cærimoniis se comparaverant, nempe ut armillam recentem acciperent, seu funiculum a sacrificulis consecratum, quem toto deinde anno gestarent, veteri deposito. Ejusmodi cærimoniâ labes animorum expiari putant: & hoc vinculo solvi peccatorum vincula. Obibat hunc diem patruelis Regis Maduræ, Naikenus Castorius, ejus in aula munere nobili fungebatur neophytus, Alexii frater. Adest cum ceteris proceribus: oblatum à Naikeno funiculum respuit. Sciscitanti Principi ubi vetus armilla, fractam a se & abjectam respondet. Inflammatus iracundia Naikenus rapi confestim illum a satellitibus, ejici regiâ, & pristinis muneribus ac dignitate spoliari jubet; lætum cetera & ovantem, quod aulicæ servitutis exsolutus liberio rem deinceps Christo adhibere cultum posset.

Qui auctor illi ad facinus arduum & hortator existiterat frater, ipse in multo faciliori turpiter victus est. Moriens avus illi gemmas, inaures, monilia, & alias id genus delicias reliquerat. Iis ornari gestiebat, in iisque crepundiis mire placebat sibi; laqueos nesciens, quos ipsi vitiosa cupiditas neciebat. Contrigit ut aliquid ex istis nugis perderet. Mæstus jacturâ, de furto sollicitus, id unum diu noctuque cogitare; omnes scrutari angulos; &, ubi nihil reperit, furti suspicionem in famulum conjicere. Negantem probris conviciisque primum, deinde verberibus afficit. Neque hic stetit: est enim facilis à lubrico lapsus in præcepta. Viget iste mos in Indiis ut de amissis rebus magos consulant, quorum arte scelerata cognoscant auctores furti. Alexius, etsi flagitiosum horreret morem, dolore tamen amens veneficum adit; quid amiserit, quem suspicetur furem, aperit. Magus cum nihil solitis præstigiis extunderet à dæmone, hunc ipsum famulum furti reum esse pronunciat. Quo responso juvenis excandescens servum innocentem corripit, sexcentisque plagis proscindit; vix ut armatas impotentis heri manus toto laceratus corpore ac semianimis effugerit. Vehementer neophytos omnes offendit indigna homine Christiano crudelitas. Subeuntem in templum Nobilium

bilius eiecit; ac ne rediret, nisi flagitio rite purgato, vetuit. In æstu flagrantis adhuc delicti parum commoveri est visus: at ubi cupiditas deseruit, ubi omnium signari oculis, congressu Fidelis populi & cœtibus vidit arceri; cohorruit. Mentem ream invasit mæror incredibilis: jacet domi solus: cibi somnique expers lacrymis & gemitibus indulget.

Postquam dolor paulum remisit, erumpit tecto, Virginis ope suppliciter implorata; & ad P. Nobilium rectâ pergit. Abjicit se flens ad ejus pedes, veniam orat; seque paratissimum ad luendas flagitii pœnas offert, quascumque irrogaverit: simul obtestatur, sibi ut proxima die Dominica subire templum, quamvis indigno, certè pœnitenti, liceat. Aduit, cum ad rem divinam frequens multitudo convenisset. Prodit in medium, & profusus lacrymis veniam ab omnibus postulat. Protulerat chartam testem & consciam doloris sui: hanc ne recitaret integram, & suo & plangentis populi gemitu prohibitus est. Tum, Quid potius, inquit, agam? aut quas meo sceleri congruentiores luere pœnas possum, quàm si causas ipsius sceleris abdicem ac devoveam? En, ait projectis ante aram gemmis, annulis aureis, armillisque; en occasionem flagitii; en victimam. Has ego gemmas æternum huic templo ornando, &, quoniam angustius est, augendo dico, consecroque. Parum est: me ipsum voluntariam Deo victimam immolo, & vobis testibus votum facio paupertatis & castitatis perpetuæ: ut amore infirmarum rerum, quæ mihi causa peccandi fuit, solutus uni Deo vacare deinceps & mihi possim.

Hæc neque imperante, neque conscio sacerdote gerebantur; qui ardori licet pio, nihilominus interdum imprudenti, modum esse statuendum non ignorabat. Sed freni patiens Alexii pietas non erat. Imo addidit obedientiæ votum, quo se totum animæ suæ moderatoribus permittebat, ut nihil sui retineret. Ac sanè vitam deinde vixit magnificis promissis consentaneam, ut nihil ad religiosæ vitæ perfectionem, præter vestem & nomen in eo desiderares; dicerentque stupentes ethnici? Quid isthuc autem religionis est, cujus opera vel pessimi fiunt repente pœnitentes & sancti?

Magnam vim habuit ad animos permovendos hæc neophyti pœnitentis ad bonam frugem conversio: majorem ipsius dæmonis vox, in frequenti hominum consensu palam audita. Sat scio futuros qui fidem iis, quæ sum dicturus, abrogent. Sed nobis in re per totam Indiam creberrima fingendi locus non est. Sic enim occulto Dei judicio accidit sæpissimè non solum in hoc Madurensi, verum etiam in vicinis regnis, ut Indorum corpora infestus dæmon subeat, ea discruciet miseris modis, attollat sublimè, huc illucque momento deportet, edat responsa illorum ore, aperiat res abditissimas, & alia multa præstet, quæ naturæ vires omnino superant. Egressus domo Brachmanes Christianus concurrere populum in plateam videt: audit clamores insolitos & rugitus. Sequitur prope rantem turbam. Cernit Indum stantem, & populi corona trepidante, nec adire propius ausâ, cinctum. Hunc invaserat Erebi satelles, & curiosa plebs variis interrogationibus lacescebat. Ut Brachmanem Christianum aspexere, obtestantur ne gravetur aliquid etiam ab energumeno percontari: hoc à nullo fieri commodius posse ac tutius: siquidem jus & imperium in dæmones Christianis datum esset. Ille Christo fidens hominem aggreditur: & magna voce, Verane, inquit, docet Romanus ille Saniassius? Vera, vera, exclamat energumenus. Instat lætus Brachmanes; & quarit an bene esset eventurum illud magnum opus, quod ab eodem Romano Saniassio inchoatum erat. Bene, respondit: sed initia erunt lentiora: postmodum omnia erunt expedita, & nomen Christianum florebit. Ad has voces Indi qui adstant obstupescere, seque invicem respectantes dicunt: Ergone omnes aliquando Christianam amplectemur Fidem! Paucis diebus interpositis cives conferti colloquebantur in compito. Ecce tibi dæmon occupat Maurum confabulantem in eodem cœtu. Mahometanus expavescens corripit se à dæmone vociferatur, & Christiani prætereuntis opem implorat. Neophytus illum signat Crucæ. Stetit veluti repulsus dæmon, & minaci vultu Maurum respectans; Evalisti, ait, scelerate: istis munitum armis aggredi te non possum. Aliter perieras.

Quæ-

55.
Prodigiosum
de Christiana
Fide testimonium.

Quærenti Mahometano quam arma diceret, Dei arma dico, retulit, quibus orbem & me vincit: ac simul è conspectu evolavit.

56.
Brachmanes fe-
ptuaginta no-
men dant Chri-
sta.

His prodigiis, atque adeo ipsius Dei voce, quam Christiana Fides ad mortuum aures defert, concussa civitas, & è somno vitiorum atque errorum velut excitata, lucem Evangelicam aspexit. Septuaginta Brachmanes, hostes antea religionis, facti sunt patroni veritatis: quod incredibile videatur iis, qui Brachmanum superbiam norint, pari pertinacia conjunctam: admiransque Nobilius exclamabat, *Digitus Dei est hic*. Duos ex illis anno insequente, nimirum MDCIX. Cocinum misit ad Archiepiscopum Cranganorenses, ut sacramento Confirmationis signarentur: deinde vero ut veterum, qui debebant Cocini, Christianorum virtute perspecta, præclaram religionis imaginem imprimerent animo, & popularibus deinde suis renarrarent: denique ut ipsimet præberent specimen aliquod Ecclesiæ Madurensis, ac nostros ad hujus vineæ culturam accenderent, quæ tam lætas efferre fruges inciperet. Admirationi fuit eorum pietas, modestia, cognitio rerum divinarum; ut nequaquam recentes è Christi schola prodiisse, sed in eam emeriti apparent. Id maxime paruit cum inter solennes sacramenti cærimonias ab antistite interrogati num parati essent probra, contumelias & verbera perferre ac pati pro Christiana, quam profitebantur, lege; responderunt se cruciatu acerbissimos & necem ipsam in gloria ac mercedis loco habituros. Sacrorum majestatem, augustissimi sacrificii solennem diebus festis pompam, frequentiam concionum, templorum magnificentiam, summa cum voluptate conspexerunt. Patrum vero caritatem experti, & eximiam humanitatem Archiepiscopi, collaerymantis in eorum complexu & eos agrè dimittentis, animum explere gratis agendis non poterant. Repudiatis, quæ offerebantur, lautis muneribus, rosaria duntaxat, imagines pias, & sacra numismata in patriam detulere.

Ardebant plurimi è nostris illos comitari, & Madurensis Ecclesiæ tam lætas flores alere sudoribus suis: uni datum hoc Patri Emmanueli Leytano, tironum Societatis Cocinensium magistro: qui statim arduum iter, & hibernis infestum imbribus, capessivit cum duobus Christianis. Maduram pervenit VII. Kal. Septemb. MDCIX. P. Robertum de Nobilibus palam in frequenti Christianorum corona, solennibus cærimoniis, tanquam discipulus magistrum, toto corpore sæpius proftrato veneratus est: deinde, digressis Christianis, amantissimè tanquam fratrem complexus, famem diurnam sedavit parca cenula, & paucis olusculis, pro Saniatiorum more. Tam aridas angustaque dapces caritas hospitis, & vultus boni condiebant.

57.
P. Robertus de
Nobilibus erro-
ris & supersti-
tionis accusa-
tur.

Non iisdem oculis P. Nobilium aspiciebat P. Gonsalvus Fernandes. Maduram ante annos decem, ut prædiximus, venerat, & in ingrato solo multum sudaverat, sed frustra. Miratus novam Evangelii prædicandi viam, a P. Nobilio tam feliciter adhibitam, credidit eum nimis indulgere moribus ethnicorum, & in hæc sententiam ad P. Visitatorem graviter & acerbè scripsit. Idem sentiebat P. Jacobus Acunia, in Indiis multos & ipse annos versatus, ac Patri Gonsalvo contra P. Robertum suffragator accessit: nec non P. Andreas Bucerius, sacrarum litterarum scientia clarus. Conturbavit Visitatorem tam gravis hominum eruditorum querela. Non ignorabat quantum sit in novitate periculi, præsertim ubi causa religionis agitur. Cum P. Nobilio tamen prudentiam, probitatem, doctrinamque perspectam haberet, veritus ne quid in re tanti momenti temerè decerneret, judicavit consulendos è nostris theologiæ peritissimos, qui tum Goæ Cocinique versabantur. Mittit ad eos prolixas P. Fernandes litteras, ac sententiam de singulis capitibus dicere jubet. Goani theologi controversiam omnem non aliunde quam è P. Fernandes litteris æstimantes, non potuerunt P. Nobilium non condemnare. Cocinenses mitius loquebantur, & rem totam amplius examinandam censuebant. Interim Visitator Nobilio * significat videri sibi rationem hanc insolitam divinæ legis propagandæ omittendam; monetque ut se referat ad usitatum ceteris Evangelii præconibus morem.

* Litteris datis
die 15. Jul. 1610.

At Cranganorensis antistes, quo probante viam hanc Nobilius inerat, ubi rem cognovit, Societatis theologos quamprimum curavit admonendos ne sententiam

tiam ferre properarent. Controversiam hanc non theologici duntaxat esse fori, sed etiam sui; nec scholasticâ tantum trutinâ examinandam. Quidquid fecisset Nobilius, auctore se atque approbatore factum: proinde negotium illi facessere, aut litem hanc movere desinerent. Ita tunc illi quidem quieverunt: non item alii, quos in India procul, quos in Europâ rumor sinister afflaverat. Utque est ingenium famæ, quæ sensim eundo crescit, & omnia in immensum auget; narrabatur P. Nobilius fabricasse monstrum quoddam è ritibus ethnicorum & Christianorum turpiter constarum: quin Fidem ipsam ejurasse, thus adolere falsis Numinibus, & bellum Societati palam indicere.

His auditis Romanos Socios ingens invasit mæror: Bellarminum præ ceteris, quem Nobilius cognatione attingebat. Scribit ad eum grandem epistolam, ab amore pariter & dolore dictam. Exprobrat impietatem, & injustam familiæ, Religioni, ac Societati, maculam. Obtestatur ut respiciat aliquando, & salutis suæ consulat. Hoc enimvero fulmine sacerdos innocentissimus pane obrutus rigatam suis lacrymis epistolam ad Christi e Cruce pendentis pedes deposuit; obsecrans ut, siquidem esset mentis suæ conscius, deploratæ patrociniû causâ suscipere. Nec ipse sibi, ut monebat prudentiæ lex, defuit. P. Gonsalvi Fernandis epistolam, qua totius accusationis summa nitebatur, singillatim refutandam sumpsit. Ac primo quidem est questus quod fuisset a Patribus Goanis indicta causa damnatus; cum res ageretur longè gravissima, essetque reus ejusmodi, in quem hæctenus nulla deterior suspicio cecidisset: quem ipsi cognoscerent neque in theologis rudem, neque in ethnicorum moribus disciplinæque peregrinum: adhæc ita versatum in Societate, ut omnes haberet suæ in tuenda profitendaque religione integritatis, & erga præpositos obedientiæ, testes. Ceterum negavit se accusatoribus succensere, quorum optimam norat mentem: nihil mirum si dissiderent opinionibus in tanta rerum difficillimarum obscuritate, qui voluntatibus congruerent: nec se defensionem fuisse suscepturum, si solam famæ suæ rationem habuisset, cujus jacturam æquo animo, si Superis ita visum, ferret: sed cum hujusmodi causa, inquit, non tam sit mea, quàm Christianorum, atque adeo totius Ecclesiæ; nemo me reprehendet, si novam divinæ legis promulgandæ rationem explicare aggrediar, & quæ mihi fuerunt objecta diluere.

Hoc præstructo defensionis aditu, totam in partes quatuor dividebat: quarum prima excutiebat narrationem & epistolam P. Gonsalvi Fernandis; aliæ tres peculiariter quædam expendebant capita, quæ præcipuam habere difficultatem videbantur. Ac eorum quidem, quæ à P. Fernande opponerentur, partem negabat esse veram, partem aliter atque ille narrabat, accipiendam contendeat. In quo certè multo major ipsi debebatur fides, quam Fernandi, linguæ Samutcradæ seu Grandonicæ prorsus ignaro, quam Nobilius omnino callebat, sic, ut ab indigenis ipsis confuleretur, si quis nodus incidisset dignus vindice & interprete. Hoc sermone conscripta sunt præcipua Indorum monumenta. Deinde Fernandes inter Parias aut Maravas semper versatus, quibus nulla cum nobilibus Castis ullius rei societas intercedit, cognoscere quæ ad P. Nobilium spectabant, non poterat nisi ex Indis, quorum testimonia incerta, infida, plena erroris & mendaciæ: quippe qui omnia ferè loquantur aut ad libidinem suam, aut ad eorum, à quibus interrogantur, voluntatem; ut usu quotidiano compertum est. Huc adde quod istos Parias angebat Nobili gloria, quem à Brachmanis & Principibus civitatis audiri videbant & coli, cum Fernandem, magistrum suum, in vulgi fece abjectum ac destitutum cernerent. Præterea Nobilius erat ingenio præstans, & eruditissimus non solum istis litteris peregrinis, sed sacris; ac divini humanique juris scientificus: dignus etiam Romæ, cum ibi degebat, judicatus, qui arcana theologica publicè explicaret in hac urbium principe & Orbis magistra. Denique, quod caput est, Patrem Indicæ provinciæ præpositum sæpe consuluerat: ipsi sua consilia, vias omnes rei gerendæ, quibus decreverat insistere, aperuerat: Patrum Cocinensium sententiam sæpius exquiserat. Nec satis; quia Madurana diœcesis Cranganorensi Archiepiscopo suberat, totam ipsi rationem suæ tum vitæ tum doctrinæ accurate proposuerat; sanctè contestatus se ne latum quidem unguem ab ejus im-

Partis V. Hist. Soc. Iesu Tom. II.

SS

perius

58.
Sinistri de Pat.
Nobili rumo-
res in Europam
delati. Ejus
Apologia.

* *Suprà. §. V.*

* *Epist. famil.
Bellarmini 173.
174. 181.*

perii arbitrioque discessurum. Et is erat Archiepiscopus, qui unus omnium maxime audiendus videretur, tum propter auctoritatem, tum propter eximiam eruditionem, & singularem Indicarum consuetudinum notitiam*. Ejus ductu, auspiciis, nomine ausus est P. Nobilius trita deserere vestigia. Quem porro ducem tutius & rectius sequeretur? Idem cum Archiepiscopo sentiebant, qui ejus incomitatu versabantur Patres Societatis, injectamque divinitus P. Nobilio mentem hanc minimè dubitabant. Hæc ubi cognovit Bellarminus, ex Indicis multorum doctrina & virtute præstantium, atque adeo ipsius Nobilii epistolis, mutavit mentem: nec apostolica vitæ formam veris exhibitam sibi coloribus laudare non potuit; ut ex ejus* litteris, quæ exstant, intelligitur. Nondum id rescire potuerat P. Nobilius, cum novam à Cranganorensi Archiepiscopo approbationem accepit. Licet satis superque respondisse videretur iis quæ sibi objecta fuerant, instabat nihilominus P. Bucerius, & in ipsis responsis multa reprehendebat. Itaque, ut illi planè satisfaceret Nobilius, integram controversiam, à capite velut exorsus, prolixo scripto explicuit; cujus autographum servatur in Romano Societatis tabulario. Scriptum approbavit amplissimis verbis Archiepiscopus: utque magnum illius erat in his regionibus nomen, vix quisquam postea repertus in Indiis fuit, qui auderet improbare quod vir tantus tam splendide comprobasset.

Non contentus Nobilius istis tot theologorum ac præfulis doctissimi judicii, domestica & proxima quæsit; petita nimirum è Brachmanum scriptis; quorum apertissimis locis demonstrabat vacare omni superstitione ritus illos à Christianis Madurensibus usurpari solitos. Libris, qui doctores muti, & testes velut mortui, vivos & vocales addidit. Quæstionem è judiciorum formulis instituit. Centum, triginta Brachmanes rem ita se habere, uti Romanus Saniasius docebat, apposito nomine suo & chirographo, confirmarunt. Sed multo illustrius testimonium integerrimo sacerdoti dedit Indiarum primas, Goanus Archiepiscopus, Alexius Menesius, clarissimum Ordinis Augustiniani lumen; doctrina cum eruditissimis præfulibus, pietate cum religiosissimis, rerum gestarum gloria cum celeberrimis comparandus. Eum de causa P. Nobilii fecerat certiorum antistes Cranganorensis, & rationum utrimque momenta perscripserat. Menesius, qui mores Indorum, religiones & instituta unus omnium apprime callebat, rescripsit omnia sapienter & piè à P. Roberto gesta esse & constituta. Deinde subdit: Ego vero, si vel unius animæ salus ageretur, non dubitaverim sexcentos Brachmanum gestare funiculos. Archiepiscopus Cranganorensis, seu Angamalenfis (nam promiscuo nomine vocabatur ab indigenis) non dissimile testimonium administratæ à P. Nobilio integrè prudenterque religionis dedit: quod exstat in eodem Romanæ Professorum domus tabulario. Ibi sanctè affirmat a se lecta & examinata penitus, itemque a viris peritissimis, quæ essent vel objecta P. Nobilio, vel ab eo responsa. Utriusque perpenis sententiam secundum illum dicit; neque sapientius catholicam rem geri potuisse profitetur. Sic auctoritati judicioque tantorum præfulum acquievit India. In Europa non levis trepidatio, ubi dispiciendi veri facultas minor propter locorum intercapedinem. Ut enim oculis, ita mentibus, res eadem aliter apparent, cum remota; aliter, cum vicina. Perlatis nihilominus Romam P. Nobilii scriptis, & summorum virorum approbationibus, magna lux oborta. Quamobrem satis habuit Præpositus Generalis Societatis, adhibitis in consilium theologis aliisque viris gravissimis, admonere P. Robertum de Nobilibus ut caveret diligenter, ne qua superstitionis labeculâ purissimæ Fidei candorem aspergi pateretur; & certas illi, quibus regeretur, leges præscripsit. Annis consequentibus facta ingens rerum inclinatio: nec Romæ solum, sed in ipsa India certantibus hinc inde sententiis agitata controversia: epistolis, voluminibus, synodis acerrimè pugnatum est. Quæ quoniam ad Mutii Vitelleschi tempora, & sextam Historiæ nostræ partem spectant, eo judicamus esse referenda. Interim erunt fortasse qui cognoscere cupiant paulo distinctius, quid in controversiam vocaretur, quid à quibusdam theologis verteretur vitio & superstitioni. Præcipua capita cursim attingam, ac simul quid iis responsa à P. Nobilio daretur, atexam.

§. X. Accusationis P. Nobilio intentatæ præcipua capita.

59. *Quanam apud Madurenses notio subiecta esset huic voci Pranguus.*

Primum illud reprehendebatur, quod se negaret à stirpe Pranguorum esse, quod mendacii suspicione non carebat: siquidem Madurenses nomine Pranguorum significabant Europæos, imo Christianos. Quamobrem qui se negabat Pranguum, idem se Christianum negare videbatur. Perfacilis tamen erat responsio. Ita enim usus loquendi, & gentis consuetudo ferebat, ut non Europæos omnes, sed præcipuè Lusitanos ea vox, *Pranguus*, indicaret. Porro jure poterat P. Robertus negare se Lusitanum, oriundum ex Italia: quod ipsum ut populo persuaderet, Romanum se esse disertè affirmabat. Præterea non Christianos quoslibet, sed infimæ tantum fortis, appellabant Pranguos: imo de religione nihil tunc vulgo, cum Pranguos dicerent, cogitabant, sed de villi duntaxat contemptoque hominum genere. Id exemplo recentis Nobilii confirmabat. Nescio quis capite census è Pranguorum isto villi grege regium stabulum curabat. Cum Dominica die pauper abfisset sacrificii causa (nam Christianus erat) accusatus est apud Principem negligentia, quod equos tardius adornasset. Absentia causam attulit, quia rei divini intererat. Tunc Princeps admirans: Estne, inquit, aliqua res divina Pranguis, aut religio? Negantibus qui aderant aulicis, doctor Indus fieri vix posse dixit, ulla ut esset natio tam barbara, tam abjecta, quæ Deum aliquem non coleret. Hoc ipsum P. Fernandes expertus fuerat. Cum enim primum venit Maduram, renunciatum est Regi adesse Pranguorum sacerdotem, hominem non indoctum. Princeps, cui persuasum erat neminem in Pranguis doctum usquam esse, tum etiam hospitii cognoscendi avidus, accessit: ex eoque nonnihil de natura humane anime quæsit. Continuo Regem interpellavit senior Brachmanes, hæc à Pranguis nequaquam esse quærenda dicitans. Jussus est filere Fernandes & facessere. Cumque sæpius, occasione data, sermonem de Deo, de salute sempiterna, de religione, in procerum aut civium honestorum cœtu intulisset; statim coactus fuit abrumpere sermonem inchoatum, negantibus cunctis hæc à Pranguis aut fieri posse, aut tractari debere. Quod si veniebat quibsdam in mentem religio, cum Pranguorum usurpabant nomen, informabant animo religionis imaginem absurdam, quæ præciperet vesci carne jumentorum ac præsertim bovm, quod, ipsorum judicio, perquam illiberalis ac sordidum est; quæ doceret cadavera sepulcris eruere; quæ corpus ablucere sæpius vetaret, in quo primam elegantie ac munditiæ partem reponunt. Itaque Pranguum nomen, cui subiecta esset ejusmodi significatio, rectè Nobilius ac sapienter abdicabat: simulque explicabat quæ vis & sententia esset nominis Christiani, ac palam profitebatur se legem veri Dei docere; non Pranguorum, ut censebant, propriam, sed communem omnibus populis, qui salvi & beati esse vellent.

60. *Saniassii, Gurui, & Raiæ, quinam dicuntur apud Indos.*

Aliud eidem P. Roberto momenti paulo gravioris objiciebatur, quod Saniassium vocari se pateretur, nec non Guruum & Raiam. Saniassius enim esse genus hominum falsi additum nomenclis: Guruos vocari magistros superstitiosæ legis: Raias Principes regie stirpis intelligi. Hoc postremum nomen, quamvis abesse à mendacio (quia P. Robertus prænobili gente ortus erat) non abesse tamen dicebatur ab inani ostentatione, qua nihil magis fugiendum humilitatis Evangelicæ doctori. Alia vero nomina Gurui & Saniassii ab homine Christiano profus abhorrebat. P. Nobilius Brachmanum ipsorum testimonio docebat, nequaquam Saniassios idolis colendis addictos esse, si verbi notio propria spectaretur; sed ea voce tantum significari homi-

nes ab humanarum rerum cura semotos, qui nihil in terris ducerent suum, castitati præsertim colenda, & vitæ asperiori dediros: quos ob eam causam vulgo nuncupabat, *homines sine auro, sine arvo*. Similiter vocem; *Guru*, non sonare magistrum religionis, sed cujuslibet disciplinæ, etiam profanæ; ut philosophiæ, mathematicæ, & aliarum ejusmodi. Proferebat Brachmanum volumen, cujus titulus *Amarasinga*, in quo vox ista *Guru* definitur his verbis, *Artha Suggenath Gourou*. Id est: Guruos appellatur qui perspicuè docet. Saniassium verò alius liber Brachmanum, *Nicantha* dictus, eum esse tradit qui rebus humanis omnino nuncium remisit: *Sanniach gnato castia saba sanias*. Eundem versus Tamulici, qui sunt in Indorum omnium ore, appellat hominem, cui nec opes, nec uxor, nec prædia: *Ponnachi, mannachi, pennachi*. Jam quòd se Raiam, seu Principem, Nobilius vocari pateretur, hanc asserere causam, quod intellexisset iniustam fuisse artificio damonis, ignominie notam nomini Christiano: jacere cernebat divinam legem in squalore ac tenebris; quia ignobilem, & à villissimis capitibus tradi solitam crederent. Itaque necessarium duxit illam vindicare ab hoc opprobrio, & oculis nondum divinæ lucis patientibus, humane gloriæ splendorem ac nobilitatis, offerre. In quo alienum nihil à Christiana humilitate fieri à se putabat, quæ sic hominum gloriæ fugit, ut eam, cum divinus honor agitur, non respuat. Nec deerant exempla, quibus niteretur. Certe D. Paulus servile supplicium ut fugeret, se Romanum civem palam prædicavit: aliasque suas laudes, cum fuit opus, non jejune protulit, (*II. Cor. XI.*) neque se tantum reliquis exequavit Apostolis; verum etiam prætulit: *Ministri Christi sunt*, inquit; *Plus ego*. Divus autem Jacobus laminam, seu bracteam auream, (*Bavon. ad annam Christi 34.*) insigne regium, Epiphano teste, fronti apposuit: idemque à Joanne usurpatum Polycrates Ephesiorum Episcopus memorie prodidit. (*Euclib. lib. V. cap. 23.*) Quorum vestigia consecratus S. Franc. Xaverius non dubitavit aliquando in Japoniæ urbem in vehi splendide indutus cultu, & apparatu magnificentissimo. Sic omnia munda mundi, & sancta sanctis. Interest quo quisque animo, quo duce, suo an divino spiritu impulsus, agat: quod certis intelligere signis licet, si nimirum istis ornatus quasi phaleris conservet obedientiam erga majores, despicientiam sui ipsius, caritatem denique fraternitatis: (*I. Petr. 1.*) adeo ut profiteri verè possit cum illa sacris in codicibus laudatissima regina: *Nolli quia oderim gloriam iniquorum, & abominer signum superbie, & nunquam letatus sum nisi in te Domine Deus.* (*Elther. cap. 14.*) Ad eandem ambitionis accusationem spectat, quòd P. Robertus, ut nonnulli criminabantur, sineret provolvi sibi ad pedes & prosterni Christianos. Verum id fieri constabat instituto gentis, quæ venerationem suam erga res sacras hominesque Numini addictos ita demonstrat: neque abhorret ab Ecclesiæ veteris consuetudine, cum ad sacerdotum, etiam ultimi ordinis, & monachorum pedes Christiana plebs reverenter accedere consueverit.

At illud certe temeritate non caret, inquebant P. Roberti accusatores, quòd verba quedam ad res sacras pertinentia in priorum oræ Piscariæ Christianorum usu posita, & auctoritate Sanctæ Inquisitionis approbata, mutaverit. Multo illud magis, quod neophytos a se institutos ab aliis in eadem urbe cultoribus Christi separaverit; neque loco tantum, sed rebus multis atque adeo ritibus ceremonisque, discluserit: ut non una Christi Ecclesia inter Madurenses, sed gemina, precum formulis, loco, ritu distincta esse videretur.

De vocum sacrarum mutatione respondebat P. Robertus, quasdam voces è Lusitano vel Latino sermone conversas olim fuisse in vernaculam Malabarum linguam, quæ Tamulica nuncupatur, estque duplex; altera plebeia & rudis; politior altera & perfectior: quasdam merè Lusitanas retentas esse, sed more Tamulici sermonis terminatas, ac paulum inflexas. Id porro sibi licere censuerat ut prioris generis voces, quæ doctrinæ

Christiane prima elementa, nempe Apostolicum Symbolum, Angelicam Salutationem, & alia id genus, rudi & impolito sermone comprehensa continebant, converteret in sermonem elegantiorum. Quod quidem non tantum concinnitatis causa factum ostendebat, verum etiam necessitatis: quia veterum libellorum pleræque propemodum barbaræ voces obscurum aut alienum efficiebant sensum. Posterioris verò generis verba Lusitana, quæ nihil Malabarici sermonis haberent, præter inflexionem & sonum, in vernaculum sermonem transferre, conservata sententia & significatione vocum, congruentius esse duxerat; ut sermo velut hybrida expungeretur, & doctrinam cœlestem eodem vernaculo puriore manantem fonte delicata natio facilius promptiusque combiberet. Quod si fas esse tradunt vulgo doctores ipsas sacramentorum formas in patrium veterem sermonem; negari non posse, quin eodem jure aliarum rerum minoris momenti vernacula vocabula in usum inducere liceret. Ad extremum affirmabat P. de Nobilibus, nihil a se tentatum fuisse, nisi de sententia & auctoritate legitimi antistitis; cui hanc potestatem & præci canones & Ecclesiæ consuetudo arrogarent. Sanctum autem Inquisitionis tribunal ita probavisse præscam, & rudem illam doctrinam Christianam in ora Pifarica exponende formulam, ut meliorem & convenientiorem, si qua procederetur, non improbare: imo vero laudandam ab eo quivis prudens merito judicaret.

Atenim, instabant adversarii, quid necesse fuit Christianos a Christianis, Ecclesiam ab Ecclesia, Neophytos tuos ab aliis, per Societatis Patres recte institutis, quasi factis schismate, dividere? Respondebat Nobilibus non aliter Christianam religionem induci potuisse. Ita enim ab illis Christianis antiquioribus, quos Prangnos nominabant, alieni erant Madurenfes, ut eorum sermonem, aspectum, occursum, cane pejus & angue fugerent. Tum, hæc disjunctio, inquebat, tantum est loci, non animorum, aut religionis: hominum stirpem & conditionem distinguit, non dirimit caritatem. Denique temporis exigui limitibus definitur; quoad nimirum Christiana virtus abrumpt illa diffidia, quibus consuetudo civilis partem unam republicæ divisit ab altera. Tunc generis ac nominis Christiani divina nobilitas humanam vincet superbiam, inosque summis exæquabit. Utebatur etiam exemplo sacrarum in Europa ædium, in quibus dividitur profanum vulgus a sacerdotibus; distinguuntur proceres à plebeis; magistratus à privatis secluduntur: nec non exemplo viciniore Christianorum in Travancoride, ac Thomæorum, qui plebem infamam extra limen templi continebant. Neque vero negligebantur idcirco neophyti antiquiores. Gerebat illorum curam sacerdos, iisque necessaria ad salutem præsidia subministrabat. Frustra schismatis nomen & metum opponi docebat, siquidem isti nobiles neophyti, neque ab Ecclesiæ capite, hoc est, Summo Pontifice, aut antistite suo: neque ab Ecclesiæ membris, hoc est, ab ignobilioribus Christianis diffidebant ulla in re, quæ vel doctrinam ac Fidem, vel benevolentiam animorum scinderet. Tum schismatis nomen importat involvitque rebellionis notam & contumacia, cujus nulla hic suspicio. Eadem secretio nihil offensionis aut scandali habebat apud ethnicos, vel apud Christianos; cum utriusque probe intelligerent morem hunc mere civilem & politicum esse, ac status conditionisque notare discrimen, non religionis; eoque vitæ communis officia, & quasi corpora; non animos, & sacra, dividi.

Quod ad ritus attinebat ac cærimonias, negabat P. de Nobilibus inductum à se fuisse, aut à Christianis, quos erudiret, usurari quidquam imbutum superstitione. Erant sanè qui reprehenderent crebras corporum in templi aditu, antequam rei divinæ interessent, lotiones: sed id civile institutum, Indis omnibus usitatum, patebat esse. Quod enim Europæis familiare est, ut mane præsertim abluant manus, vultum, os; id maxima corporis parte factitant sæpius per diem Indi. Et pertinere hoc ipsum ad speciem quandam decusque pietatis veteres Christiani putaverunt. De Paulino quippe Tyrriorum Episcopo narrat Eusebius, (*Lib. X. c. 4.*) collocatos ab illo fontes pro foribus ædis sacræ; quibus ingressuri templum sordes corporis purgarent. Similiter lymphas eodem consilio in Vaticanæ basilicæ

atrio propositas fuisse S. Paulinus docet. (*Epist. 31.*) Tradunt Tertullianus, Chrysofomus, & alii, eundem hunc morem in Orientali Ecclesia viguisse. Est enim innata nobis opinio, (*Baron. ad an. Christi 57.*) non nisi pueros ad Deum accedere debere, ac mundos Numini supplicare. Neque, si hoc ab ethnicis frequentatur, continuo præmittendum & repudiandum est a Christianis. Adde quod ita instituti erant illi Madurenfes neophyti, ut haberent persuasum omitti loturam hanc sine peccato posse; neque necessario divinæ rei vel faciendæ vel audiendæ præmittendam: itaque ab illis consulto interdum omitti P. Robertus volebat.

61. *Quid sit sandalum, linea, codumbus. Quare vacent superstitione.*

Videbatur habere plus difficultatis usus Sandali, ejusque ad inungendam frontem distributio. Est Sandalum genus ligni odorati, & coloris alii, aliis rubri. Hoc lapidi prædoro affricant, & in pulverem redigunt, quem aqua deinde macerant denotatumque, ad frontem apponunt. Porro ejusmodi Sandalum nullius est profanæ rei aut scetæ insignis; neque certo modo ilinebatur fronti à Christianis, quo illud ethnici confueverant adhibere. Illius denique usus probatus ab antistite, ac propriis etiam ornatus precibus erat. Nimirum judicaverat præful sapientissimus hunc magno ad religionis decus ornamento fore. Id enim est institutum animis Malabarum jam inde ab ipsa pueritia, ut latentes animorum sensus, obsequium in amicos, venerationem erga res sacras, hilaritatem in secundis rebus, in convivis, in festis, testari gestiant aliquo signo, quod in fronte, tanquam in parte hominis maxime conspicua, emineat: ridetque Europæos, qui pretioso pulvere vilem comam perfundant, neglecta fronte, quæ sedes majestatis. Eam ob rem Sandalo se oblinunt; aut, si Sandali non est copia, cinere per cribrum pollinarum ducto, & purgato conspergunt frontem: eaque sublata cærimoniam perire splendorem vitæ civilis arbitrantur: nec alia re magis ulla deterrebantur initio ab Evangelica lege, quam quod usus iste cineris interdictus initio Christianis esset. Hunc postea viri doctissimi à superstitione liberum, & Christi assensu permittendum esse censuerunt, præsertim cum traduci facile possit ad sensum aliquem veræ solidæque pietatis. Sic pleræque ab ethnicis olim sumpta, Christiani usurparunt, aut leviter immutata, detractis que olerent superstitionem, ad religiosæ usus traduxerunt. Sic impia delubra in sacras ædes fuere conversæ: sic Imperatores Romani, Constantinum Magnum consecuti, quamvis Christiana colerent sacra, tamen diu stolum & alia quadam Pontificum profanæ Romæ insignia retinuerunt, quia erant per se potestatis & auctoritatis argumenta, nec legimus id usquam improbatum a Romæ Sanctæ Pontificibus. Neque idcirco prohibita ducibus Christianis de hoste victo triumphantibus laurea corona fuit; aut fetialibus olea, quod Romani veteres laurum Marti, oleam Palladi, confecerant. *Duris mentibus* (quemadmodum D. Gregorius in Epistola quadam scribit) *omnia abscindere impossibile esse dubium non est: quia is qui summum locum ascendere nititur, necesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus, eleveur.*

Ostendebat similiter Nobilibus nihil esse religionis ac proinde nihil superstitionis in Brachmanum linea, in codumbo Saniassorum, & aliis id genus ornamentis, quæ Raiis & Cometis tribui solebant, quæ duæ stirpes, seu Castæ, nullo modo sacræ ac religiose censebantur: imo etiam opificibus, arte aliqua præstantioribus. Pueris quidem certe cum parens Brachmanes lineam collo circumdabat, quam cærimoniam annum fermè octavum ingressis adhibent, aliud nihil præter istum, loquebatur: *Ego te nobilem hac linea facio.* Atenim, instabant adversarii, cur triplex linea demittitur è collo? quid innuit numerus iste ternarius, nisi superstitionem? Innuat (respondebat Nobilibus) perfectionem nobilitatis & doctrinæ, quam Brachmanes sibi arrogant. Ego vero illum ad significandum SS. Trinitatis mysterium à me adhiberi palam professus sum: imo alia duo addidi tribus filæ, quibus divinam in Christo & huma-

nam inesse naturam significarem; neque peccare quidquam contra leges dictus sum. Neophyti cum Sandalo tingunt frontem, figuram quadratam exprimunt, quod hæc similitudinem cubi præferat, qui soliditatis & constantiæ index & symbolum est. Atenim hæc ornamenta certis precibus velut consecratis ethnici, quæ superstitione profecto sunt. Negabat Nobilius ejusmodi preces adhiberi a Christianis, sed alias pietatis plenas & præscriptas ab Archiepiscopo. Itaque modum ipsum adhibendi hæc ornamenta posse superstitionem esse fatebatur; ipsam rem vacare omni superstitione contendebat; si tollerentur illæ preces & carimonia, quas induxerat supersticio, quasque omnino ipse Christianis prohibebat. Et vero, si abstinendum esset omnibus rebus, quas superstitione prece vel carimonia inquinare Indi solent, abstinendum foret cibo, potu, vestibus, incestu, balneo, matrimonio; ac denique omni actione vita vel maxime necessaria. Quamvis igitur hæc signa per se inventa ad varios nobilitatis gradus distinguendos, utentium vitio contaminarentur; nihilominus iis uti posse quemlibet affirmabat, sine piaculo, si vitiosus emendaretur usus. Quotiescumque enim signum ad finem civilem cognoscitur institutum, eaque ratione passim adhibetur, vel adhiberi per se potest; nemo est qui neget illud usurpari a Christianis posse, præsertim ubi constat illos falsi Numinis non esse cultores: quo maximè argumento probabat nihil scandalis ex his ritibus & ornamentis oriri posse. Nam certis aliis signis dignoscebantur a ceteris Christianis, neque ullum dabant indicium, quo ab iis coli communia reliquis & falsa numina putarentur, imo plurima præ se ferebant, ut Crucis sanctæ signum, Rosaria, & alia id genus, è quibus intelligerentur sequi peculiarem ac divinam religionem, eandem cum religione Prangorum; licet ab illis, quod civilia spectabat jura & ornamenta, diffiderent. Denique ut omnis dubitandi locus tolleretur, P. Nobilius libellum ediderat, idoneorum testium chirographo consignatum, ac publice legendum proposuerat, quo denunciabat se suosque neophytos, religionem JESU Christi ac doctrinam amplecti, & discipulos Christi esse. His cautionibus adhibitis, si quid nihilominus offensiois nasceretur, aiebat scandalum istud nequaquam dicendum *atritum*, sed *merè passivum*, quod vacare culpa theologi omnes docent.

62. *Quadam leviora Patri Roberto de Nobilibus objecta.*

Præter hæc ad religionem universè spectantia, quædam ipsi P. Nobilio proprie objiciebantur. Primò. Quod se vocari Aier sineret. Sed ea vox nihil sonat aliud quam dominum domus, sive domi præpositum. Secundò. Quod Patres Societatis, discipulos suos dici pateretur, ac tanquam discipulos penes se haberet. Hoc a se factum verè, ac necessario, respondebat: verè, quia docebantur ab ipso. Linguam Tamulicam genti-

que mores: necessariò, quia nisi discipulorum sumpsis- sent nomen & locum, non poterant effugere colloquium ac disputationem cum magistris Indorum & Brachmanis, ad P. Robertum adeuntibus, a quibus procul dubio victi contemptique discessissent, quippe nondum satis linguæ ac morum gentis periti. Quamvis vero in discipulis numerabantur, nefas illis disputare. Tertio. Quod à sua mensa Patres eisdem Societatis removeret. Id vero eam ob causam faciebat, quod unus ex illis, propter virium imbecillitatem semel tantum in die cibum sumere non posset, cum tamen sæpius quàm semel, vesci Saniaffis omnino vetitum esset. Quamobrem privatim & remotis arbitris ille vesciebatur. Alter vero Patrum eadem cum P. Roberto non utebatur mensa; quia religione nescio qua impeditus, cibum à Brachmanes paratum capere abnebat. Vitiò etiam verteabant, quod solos Brachmanes aut Saniaffios in conclave, dum cibum sumebat, admitteret. Hoc vero gentis more ac lege usurpabat, quæ non patitur ut honestissimi quique viri ab hominibus inferioris stirpis cibum capere conspiciantur. Qui mos nisi ferretur, gravis est ignominia subeunda.

Hæc omnia ut verissimè dici a P. Roberto crederentur, cum ipsæ res persuadebant, tum vero viri probitas singularis, scientia excellens, & sacrarum pariter ac profanarum litterarum cognitio numeris omnibus absoluta: denique doctissimorum hominum & sapientissimorum in India, Lusitania, & Italia consensuens approbatio. Intelligebant nempe viri prudentissimi nequaquam utendum summo jure ac rigido, cum agitur animarum salus; sed ea prorsus concedenda, si summa religionis utilitas, & Ecclesiæ propagandæ causa posceret, quacumque legi divina non essent evidenter & aperte contraria. Proferebant Apostolorum exempla, quos patet multa tolerasse initio, quæ sensum videbant esse antiquanda: multa dissimulasse; cum Judæis Judæos; cum gentilibus, quasi gentiles; *omnibus* denique *omnia* factos esse, (1. Cor. 9.) *ut omnes salvos facerent*. Atque has lenitatis partes videtur Ecclesia Romana præcipuè suscepisse. Documento est S. Gregorius, cum Augustinum, Anglorum illum Apostolum, admonet quo pacto gerere se cum novo Christi grege debeat: nec non Summus Pontifex Joannes VIII. cum S. Methodio Moravorum Archiepiscopo concessit, ut in re divina faciendâ uteretur vernaculo Sclavorum sermone: (c. *En. Sylvius hist. Bohem. c. 13. Baron. ad an. 880. n. 3.*) ne quis obex Moravos recens Christo partos a suscepta Fide repelleret: quod tamen Gregorius VII. Duci Bohemiæ, torius gentis suæ nomine postulanti non concessit; quia videlicet ratio communis boni non eadem urgebat. Quam multa Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. illis ipsis Indorum populis paterna benignitate largiti sunt, quo illorum foverent spem, caritatem ac studium erga Romanam Ecclesiam accenderent? Quod si qua suboriatur dubitandi ratio, an non præstat in eam inclinare partem, quæ salutem animarum & religioni propagandæ favet?

§. XI. *Res gestæ in regnis Bengalano, Peguano, & Arracano.*

PAULO diutius morati sumus in regno Madurensi, dum religionem à P. Roberto de Nobilibus ibi constitutam contemplamur: nunc ad vicinas regiones properandum. Supra Maduram porrigitur, septentrionem versus ora Coromandelis. Huic oppositum est in Asiatica extra Gangem peninsula, interjecto maris vasto sinu, regnum Bengalæ, circa Gangis ostium. Huc profecti Cocino ad V. Nonas Maias anni MDXCVIII. Patres Franciscus Fernandus, Dominicus Sosa, Melchior Fonseca & Andreas Bovefius, Gullum, stationem Lusitanorum attigere V. Kal. Junii. Puerorum effusa turba in ipso portu obviam processit, enixè rogantium ut docerentur. Datus puerili scholæ moderator, quæ cura inter primas præconum Evangelii meritò censeretur debet. In lucem edita deinde brevis Christianæ doctrine summa, in morem dialogi, quæ scribendi ratio utile dulci miscet. Data deinde opera etati proveciori, ægris, mor-

rientibus, calamitosi; in templo, in carcere, in no- focomio. Dum in has incumbunt curas, invitati fuerunt à Rege Ciandecani; nec non a Lusitanis, bien- nium jam illis sacerdote carentibus. Præter multos par- tim liberos, partim servos, sacro fonte ablutos, com- plures Indi, qui herilem avaritiam aut immanitatem exosi, post susceptum Baptismum profugerant, prodie- runt è suis latebris, audita Patrum humanitate; ac sa- lutari penitentiae sacramento expiati sunt. Rex amplis- simo diplomate assignavit vestigalia, quibus ædes sacra & domus Societatis poneretur: simul potestatem populo Christianam profitendi legem fecit. Vix ab eo fuit impetratum, ut Syrioprem discederent, polliciti se quamprimum reversuros. Hanc porro servabant ratio- nem, ut cum sedem uspiam fixissent, in ea duo con- siderent aliquandiu, donec radices egisset religio, & suis niti viribus posset; ceteri huc illuc in vicina op-
pida

pidam excurrerent. P. Melchior Fonseca primum in Bengalano regno Societatis templum posuit Giandecani, ac JESU nomine Sanctissimo insignitum ipfis Kalendis Januar. anni MDC. dedicavit, apparatu & ornatu quam fieri potuit magnificentissimo: Rege cum populo ad augendam solennis diei celebritatem conspirante.

63. P. Franciscus Fernandus ab Ethnicis interfectus.

Cum res Christiana hunc in modum floreret, evensa prope est repentino turbine, quo P. Franc. Fernandus abreptus interiit. Huerta, in Toletana diecesi natus inierat Societatem, an. MDLXX. etat. 22. studiis humanitatis, & juris civilis scientia perpolitus. Cum P. Alexandro deinde Valignano, quem Præpositus Generalis Everardus Mercurianus Visitatorem Orientis creaverat, navigavit in Indiam anno MDLXXIV. Gæ theologiam docuit: Cocini, aliisque in locis prudentiam, pietatem, laborum patientiam, divinæ gloriæ studium, precandi assiduitatem, ad animas Christo adjungendas egregie adhibuit. Hinc in regnum Bengalani cum P. Dominico Sosa profectus, agrum hunc vastissimum ab anno MDXCVIII. ad MDCII. excoluit. Cum Diangæ versaretur, quod oppidum ostio fluminis Cosmini proximum est, præter cetera bene ac feliciter ad salutem proximorum, Deo juvante, gesta, illud peculiari cum voluptate commemorat, in eoque pretium operæ ingens factum à se prædicat, quod infantem nudum, abjectum in vico, & morientem baptizasset. Næ ille sapienter & vere hoc ingenti apponebat lucro. Quantum enim est animam vel unam, pretium divini sanguinis, cælesti regno intulisse! Ab Arracani Rege facultatem adeptus Evangelii promulgandi, Societatis domum ineunte Februario MDCL. construxit. Ciatigani ædem sacram Præcursori Christi sanctissimo dedicavit; concurrentibus certatim ad res divinas audiendas usurpandasque tum accolis, tum Lusitanis, admirabili omnium fructu & gaudio: utinam æque diuturno! Luctuose mutationis causa hæc fuit.

Bellum adversus Peguanos difficillimum Rex idem Bengalæ & Arracani feliciter confecerat, ope atque auxilio præsertim Lusitani ducis, Philippi Briti: cui ut gratiam & præmium bellici laboris referret, Sirianum donaverat, emporium celebre, ejusque muniendi fecerat potestatem; quod strenuè ac diebus paucissimis, ne Regi daretur ponendi mora, perfectum a Brito fuit. Contigit per idem tempus ut Lusitani quedam oræ maritimæ loca occuparent. Regem subivit metus ne opportunis ad bellum sedibus positi commercium averterent, aut aliquid etiam ulterius molirentur. Abigere illos parat: classem instruit, congregitur; vincitur. Ea clades timorem illius ac suspiciones vehementer auxit. Hinc odium Lusitani & Christiani nominis. Populus, qui semè Regum odia & amores induit, accepto prætere damno irritatus (maxima enim classis perierat) alio jam vultu intueri Patres, qui debebant in regno Bengalano, & conviciis contumeliosisque palam incesse. Pergebat nihilominus P. Fernandus instituere pueris, verba de Deo vicatim facere, & solita obire munia. Forte incidit in altercantes cum indigenis aliquot Lusitanos: accurrit ut rixam, qua solebat auctoritate, componeret. Mutatos barbarorum animos sensit. Irruunt conferti; pugnis calcibusque cadunt: oculum etiam per summam immanitatem excerpunt: denique spoliatum vestibus conjiciunt in carcerem, ubi squalore, inedia & morbo consumptus est, Ciatigani, XVII. Kal. Decembr. an. MDCII. Ceteri Patres, irato Principe, infesto populo, nihil aut sibi tutum, aut proximo utile futurum arbitrati, recesserunt.

Expectationem quoque sefellit Evangelica in regnum Peguanum excursio, quod unum est à præcipuis Indiæ extra Gangem, ut diximus, regnis. Fuerat ante aliquot annos florentissimum. Nam ejus Regis qui anno MDXCVIII. rerum potiebatur, pater vicina quadam regna imperio adiecerat; & in domando Siami Rege, quem ultimum in suam redegerat potestatem, bellicam virtutem cum pari prudentiæ laude conjunxerat. Tantas opes perdidit filius degener, sola crudelitate atque imprudentia memorabilis. Suspicatus

Regem Avæ patrum suum res novas moliri, quadraginta regni Avani proceres comprehensos, cum uxoribus, liberis & amicis inclusit in sylvam, & in festis flammis omnes concremavit: aliquot elapsos ex illo rogo, medios securi divisit. Interim Siami Rex, occasione amborum discordiæ arrepta, excutere tentavit jugum, seque in libertatem vindicare. Peguanum numero copiarum longè superiorem, mittendis internunciis, & proponendis conditionibus, in tertium usque mentem distulit; quo tempore fluvii, quibus abundat mensum, hibernis aucti imbribus superant ripas, & omnia late loca mergunt. Hoc diluvio innumerabilis Peguanorum multitudo, cum equis & elephantis perit. Rex tamen reparato statim exercitui duces fortissimos, ac ipsum denique filium præfexit. Eo cæso, amens furore, majores colligere copias, ac ducere ipsemet conficitur. Sed Peguanus, tot attriti cladibus, militiam detrectant, occulant se antris ac nemoribus: multi nomen suum inter Talapinos profitentur. Genus quoddam est hominum pietatem profitentium, qui belli ac publicorum onerum sunt immunes. Rex illos ab bellum rapi, quamlibet invitus imperat; avelli ex antris sylviisque profugam plebem; retractis iniuri certas in dextera manu notas candenti ferro, ut ne impune à signis discederent. Hic lamentabilis rerum in Peguano regno status erat. Quam tamen Rex sæviendi fatietate pacem otiumque spectare videbatur, in eam spem venerant Patres Balthasar Sequeira, & Joannes a Costa, fore ut malis domitæ mentes facilius a viticiis & prisca superstitione revocarentur. Evertit hanc ipem nova belli tempestas in Regem Peguanum a duobus aliis Regibus Arracano & Tanguano concitata. Patres ad oram Coromandeliam, transmissis mari, se reulerunt.

64. Patres exclusi regno Peguano repetunt oram Coromandeliam.

A Fano Sancti Thomæ delapsi sunt ad urbem Gingium Naikeni Gingiani sedem, & regni caput. Civitas est maxima, quam vix Olisippum cedere, qui viderunt utramque, testantur. Plena omnia falorum numinum templis. Gentis sacerdotes & sacrificuli Jogue vocantur: avidum gloriæ pecus supra quam dici potest. Horum unum Socii conspexerunt cavea inclusum ferrea tam angusta, ut nec stare nec jacere possent. Caveam cingebant lampades centum: præibat illustri captivo Jogue quatuor, antambulones honorarii. Hoc ille fe carcere volens clauserat, ut admiratione populi frueretur. Naikenus posteaquam Patribus regiam, & gazas, ostentavit, ultro concessit potestatem edificandi templi, & promulganda legis divine. Lati peripeto Regis & procerum studio præcones veritatis, eam cupidis omnium auribus infuderunt, angustias temporis, & operariorum in tanta messe penuriam, unice deplorantes. Multa concertatio fuit cum gentis doctoribus, ac præsertim cum Brachmane insigni, ad quem alii omnes disputationis onus & arbitrium detulerant. Interrogavit hominem P. Sequeira, quot Deos coleret. Ille, multos; & singulorum indicem bene longum recitavit. Rogatus ut omnium maximum & principem ediceret, Solem respondit. Quæsitum deinde est, Sol à se factus, an ab alio, foret. Paulum cunctatus, ab alio factum dixit, ejusque appellavit patrem; matris nomen invenire non ita commode potuit: stomachante graviter Brachmanum turba, quod hæsitaret. Sunt ergo duo Soles, subiecit Sequeira: nempe Sol, ejusque pater. Homini enim pater homo est, equus equi, elephas elephantis. Conturbatus doctor, cum expedire se non posset, eo delapsus est, ut Solem diceret fuisse hominem sanctum, qui Sol ut esset, tanquam præmium probitatis & obsequii, meruerat. Qui Solem igitur tanto affectu præmio, subiecit sacerdos, ipso certe Sole superior existit. Qui enim alteri præmium obsequii largitur, eo major sit necesse est. Annuente Brachmane, conclusum est jam alium Deum Sole majorem existere; atque adeo Solem Deorum primum & maximum non esse, uti affirmabat. Estuantem præ pudore nondum audacia defecit, Tres principes omnium Deos, pares inter fe esse dixit, quorum ita dispersita prædicabat officia, ut unus ediceret ac moliretur; alter

destrueret, tertius conservaret. Quæ cum facile fuissent refutata, obmutuit. Ingens toto confessu silentium. & Sequira occasione captans, originem mundi, angelorum ac primi hominis creationem, & peccatum amborum; salutem demum ab Homine-Deo reparatam, explicuit. Brachmanes rerum tantarum novitate percussus, beatos exclamavit, qui eas plane intelligerent. Cui Sequira; Quin ea felicitate jam fruaris, nihil vetat. Illinc profecti Chistatapanum properarunt, urbem novam a rege Gingiano structam. Instabat operi domibusque fabricandis advenarum promiscua multitudo. Locum ædificando templo ac domicilio Societatis Rex designavit; relicti sunt P. Alexander Lenis, vir prudens & lingue peritus, qui opus urgeret. Inde Cholganam, præcipuum dynasten, & Regi in paucis carum, convenerunt, senem octoginta natum annos, quem unum tota regio perhorrescebat; læcessus enim injuria parebat nemini. Sed ipse quoque metuebat omnes: utque vim hostium & infidias arceret, multo milite teuebatur, ac domum suo præterlabente & in fossas inducso muniverat. Quin, fossas impleverat crocodillis, ne quis noctu obreperet. Literas ipsi à Rege commendatitias Patres obtulerunt: quibus publicè recitatis, præstitit cumulatissime quicquid ab eo poterat expectari. Discessurus comes assignavit, quorum officis ac dignitate tuti Tanjaorem devenerunt.

Est Tanjaor Naikeni cognominis urbs regia. Hunc adire non licuit, quia rebus humanis ac negotiis nuncium miserat, totus in mortis meditatione defixus. Sic solent, vel senio urgente, vel vitæ tedio. Idem præstabant uxores ejus septuaginta, concubina vero trecenta; scilicet vivæ post ejus mortem comburenda, gentis instruto. Quamobrem Socii aditu omni aspectuque prohibiti, ad Maduranam Naikenum se contulerunt. Versabatur in suburbana domo, relicta regia ob ridiculam superstitionem, quo vitio insigniter

laborabat. Brachmanum nescio quis audire per quietem voces illas visus erat, tanquam profectas à Numine, cujus sanum regias conungebat ades, Perge; Regem admone meis verbis, aut illi aut mihi in regia manendum. Rex audito Brachmanis deliri somnio, confestim è regia discessit; ac ne quid in Deum suum peccasset miserè metuens, incidit in morbum: eo nihilominus minime impediebatur, quin suis quotidie jus diceret. Adstabat illi semper ad latus Brachmanes, fracta & flebili voce nomen idoli Aranganada singulis prope momentis in aurem insufurrans. Fessum assidua vocis ejusdem repetitione alter excipiebat, idem usque usque occinens; etiam Rex ad quinque vel sex horas federet pro tribunali. Adeo verebatur princeps supersticiosus, ne sibi vel temporis puncto sui Numinis memoria excideret! Exemplum memorabile, quodque Christianis hominibus, in versanda sæpius animo Dei veri ubique presentis cogitatione tam negligentibus, merito pudorem incutiat. Ab urbe Madurensi Turucurinum delatos, & viarum incommodis atque adeo crebra cæli mutatione fractos morbus occupavit; quodque molestissimum ipsis accidit, eo absumptus est illorum interpres. Augebat mærorem inopia medentium, qui & rari illic & ignari: suus sibi quisque medicus fuit, aut potius benefica Numinis manus, quæ pristinam omnibus incolumitatem reddidit. Adjuvit etiam ora Travancoris; ad quam, licet nondum confirmata valetudine, contenderunt. Hic alia cæli terræque facies: cumque Maduranam plagam insalubres venti perflant, ac torrida æstas perurit; oppositam Zephyri clementes mulcent, aut hyems imbribus humida irrigat. Sic vices utraque tempestas statis anni mensibus mutat. Causa tanti discriminis fontis altissimi, qui oram utramque dirimunt. Patres nova temperie refecti Colanum, Colano Cocinum, Cocino Goam ad III. Kal. Decembres MDXCVIII. pervenerunt.

§. XII. Missio in regnum Peguanum instauratur.

NOVA spes affulsit anno MDC. Missio in regno Peguano instaurande. Bello finis impositus, regis Peguani necesse, religionem sequens pace facilius indutum iri persuaserat. Ne votis & expectationi exitus responderet perfidia regis Arracani prohibuit. Ille junctis cum rege Tanguano copiis bellum intulerat regi Peguano, ut supra memoravimus; (XCVIII. 63.) eumque clausum arce permunita obsidebat. Sed longæ obsidionis tedio, sive etiam appetente hyeme, domum reversus, bellum Tanguano absolvendum permiserat. Huic Peguanus se dedit, ratus clementiorem fore, quippe consanguineum. Sensit hoste quovis crudeliorem. Nam Tanguanus, ejus thesauris inhians, ipsum, uxorem, & filios tredecim obrucavit. Statimque advolans in arcem, ubi thesauros Peguanus abdiderat, septingentos, ut narrant, elephantos, ac totidem jumenta auro & gemmis oneravit, exercitumque dimisit. At Rex Arracani communes copias, absente se & inscio, dimissas, ablatosque thesauros indignissime ferens, bellum ipsi Tanguano indixit, ac Lusitanos ad societatem belli promissis ingentibus invitavit. Erat inter illos opibus & dignitate facile princeps Philippus Britus. Hunc Arracani Rex præ ceteris accessit. Scribebat P. Andreas Bovefius, quem sibi comitem Britus in hac expeditione adfiverat, à lacrymis temperare se non potuisse, cum corneret contratos cadaveribus campos, oppleta iisdem flumina, neque lintribus pervia; desolata ferro & flammis arva. Rex Arracani confecto feliciter bello, Sirianum portum donavit Lusitanis. Erat non procul insula Sundiva, nativis munita scopulorum propugnaculis, & frugum opumque variarum dives, ac præcipuè salis, qui Bengalium in regnum late comportatur. Ad hanc insulam oculos Lusitani adjeerunt. Ejus arcem Dominicus Carvallius occupavit, annuente Rege Cadaraio, cui non ita pridem Mogoles illam eriperant. Ægrè admodum tulit Rex Arracani, Lusitanos loco tam opportuno, qui suæ regionis claustrum erat, potitos: inde prius illos expellere statuit, quàm se confirmarent. Ergo maximam classem celeriter instruit. Prælio commisso, Lusitanos nondum

fatis paratos fortuna destituit. Redintegratâ post biduum pugna, classem inimicam partim demerferunt, partim ceperunt. Rex cladis dolore dissimulato, ultionem in aliud tempus rejecit. Id prospiciens Philippus Britus, qui arcem in Siriano portu conditam, ligneo tantum vallo muniverat, eandem faxeis cinxit operibus, & omni commeatu instruit. Auctus inde Regis Arracani metus. Jubet Britum cæptis desistere, imò propugnacula evertere: neganti bellum indicit. Prius tamen Sundivam insulam, ne quid relinqueret a tergo, expugnandam ratus, classem comparat. Hoc terrore plerique Lusitani suas naves subduxerunt: restitit Dominicus Carvallius cum paucis ratibus, & hostem ingruentem sustinuit: nec sustinuit modo, sed etiam fugavit. Victor, ac lacer & omni ferè bellico instrumento destitutus, vidit se iterum vincere non posse, nisi omnino periret. Noctu cum Societatis Patribus, qui jam domum templumque in insula Sundiva moliebantur, eam deserit, ac Siripurem profugit. Rex, Sundiva recepta, Lusitanos persequitur, & eorum socium atque adiutorem, Ciandecani regem infestis armis petit. Ille hostem, cui se impari vincere non posse, & a suis cervicibus depellere sentiebat, conciliare, & a suis cervicibus depellere insigni beneficio constituit. Carvallium ad se se vocat; orat opem contra hostiles copias; promissis ingentibus & laude multa onerat. Suadebant vehementer Patres Societatis, ne suum caput infideli regulo committeret. Sprevit bene momentes. Exceptus per infidiosam amicitia simulationem, comprehenditur. Ejus comites vincuntur, spoliantur, colaphis serviliter vapulant. Circumductus ipse per ludibrium & excruciatum, capite truncatur. Hoc munere Ciandecani Rex pacem emit: mox Carvallii navibus occupatis, Lusitanorum alios laniavit suppliciiis, alios in vincula conjecit. Saraceni per ades Societatis impune bacchati, postquam neque aurum, neque arma, uti rebantur, invenerunt, rabiem in altaria & Cruces effuderunt.

65. *Patres pulsi: Religionis clades & Missionis.*

Patres pulsi regno Ciandecani, alii aliò recessere: bini Sirianum initio Februarii anni MDCIV. tenuerunt. Jamque ceperant Peguanos præteritis bellis fractos imbuerè celsi doctrina, & prostratam armorum tumultu & iniquitate Missionem erigere, cum Arracanus, inde quoque Lusitanos depellere meditans, eò maximam repente classem appulit. Occurrit Lusitana, numero navium longe inferior. Concurritur: ter instauratur pugna, ter Lusitani superiores ex acie discesserunt. Pudor hostes impulit ad quartum certamen, diebus paucis ad reparanda navium damna sumptis. Aceps victoria diu fluctuavit. Hanc juncta virtuti solertia Lusitanis peperit. Rates inimicas, quarum numero facile circumveniri poterant, in angustum fretum perduxere, ubi cum illæ neque se commovere possent, nec dimicandi facultas daretur, nisi paucis, quæ in freti aditu primoque in agmine consisterant, omnes aut fractæ aut captæ sunt. Regis filius, cum parte copiarum fugam terrâ: navibus relicta, corripit. Sed Britus per viarum compendia præcurrentes nec opinantem & imparatum capit.

Rex ira & dolore æstuans repetiit filium, & pecuniâ vim, quantam Lusitani peterent, obtulit. Britus thesauris omnibus pacem, & religionis tranquillitatem anteponeus P. Natali Salerno, cujus precibus & actiuosa virtuti acceptem potissimum vicioriam ferebat, provinciam dedit, ut fœderis leges cum Arracani Rege transigeret. Conditiones utrimque propositæ jurejurando firmantur. Earum erat prima, ut Christiana religio revocaretur in Bengalatum regnum, & Sundiva Lusitanis restitueretur. Ad insulâ possessionem rite capiendam filium suum, juvenem paternæ virtutis æmulum, Britus cum lecto militum numero mittit: infelix, qui regi barbaro tam facile crediderit, patrique captivam prolem prius reddiderit, quam ille promissa verbis inita, re comprobasset! Briti filium accepit Rex humanitate ficta. Lusitanos ejus comites promissis duxit, donavit muneribus, demum epulis adhibitos, una cum adolescente, spe parentis ac patriæ, per summam crudelitatem & perfidiam interfecit. Nec satis: Christianos vicino in oppido, pace composita lætos, immixtis fatellitibus alios trucidavit, alios conjecit in vincula, disjecit ades sacras, raptavit Cruces, promiscuum vulgus fœvitia militari objecit.

Immane facinus Superi hominesque horruerunt. Repetita fulmina regiam percussere: iisdem primariis delubri pars desagravit. Triginta sacrificuli Regem convenere: palamque denunciarunt ita favere Numen Christianorum, propter violatum fœdus, & spretam jurisjurandi religionem. Ille correptos maçtari coram iussit, ne in fausto vaticinio latarentur. Eadem incensus rabie ad delendas, ut sperabat, nominis Christiani reliquias prorupit. Britus molem ingruentis belli præfagiens, admonendum opera P. Natalis Salerni Proregem Indiæ, ut auxilia quamprimum submitteret, curavit: & iusto dolori suo Superos ultores speravit adfuturos. Interea cum tota regio fragore armorum circumsonaret, trepida Religio, perditis rebus aut dubiis, conticescebat; nec audebant Patres petentibus baptismum Peguanis assentiri, ne mutata regni facie, fidem datam Christo mutarent. Lucri nonnihil factum in parvulis, qui jactura viræ brevis ac tumultuosa sempiternam in cœlo pacem adepti sunt. Pari beneficio affectus est Judeus, in sacris litteris contritus; è quibus est veritatem utcumque eruisset, ad eam tamen profitendam, adduci nondum poterat. Orbe terrarum peragrato, Sirianum ad Patres veniens, & ab iis institutus, erroribus finem ac vitæ feliciter imposuit.

66. *Opera promissa regno Cambogia: navata Siamensi.*

Paulo ante hanc religionis in regno Peguano cladem oblata spes Missionis præclarâ fuerat in Cambogia, uno è præcipuis octo regnis ejusdem Asiaticæ terræ Gangem peninsula, inter Cocincinam ab ortu, & Siamum ab occasu. Regionem similissimam Nilo fluvio fecundat, certis mensibus exundans. Populo jus dicitur Mandarinum, ut apud Sinas: religionibus Bonzii præstant, commercia frequentant incolæ cum Hispanis ac Lusitanis, quorum præsidio vim Siamesium toto decennio infestam & arma feliciter denique propulsaverant. Eorundem horum, ac potissimum Jacobi Velofati Lusitani, Cambogia Rex legatos Malacam anno MDXCVIII. misit cum muneribus, renovandi fœderis causa: religiosos viros in suum invitavit regnum, ac legato mandatum præcipue dedit, ut secum aliquem è Patribus S. Pauli (sic homines Societatis in India vulgo nuncupantur à Goano S. Pauli collegio) adduceret; sine quibus pacem satis firmam esse posse non putabat. Gratiâ egerunt amplissimas Regi Patres collegii Malacensis, polliciti se profecturos ubi primum a suis præsidibus, ad quos scribebant, responsum accepissent.

Non promissa tantum Siamesibus, at navata etiam opera paucis post annis fuit. Siam Rex per suos oratores Lusitanis, qui Malacam contra Batavos fortiter propugnaverant, gratulatus, anno MDGVI. renovavit cum iis fœdus pristinum, & eos in regnum suum, cujus nuper habere capessiverat, invitavit. Unum præterea, quicum longo fuerat usu, antequam rerum potiretur, conjunctissimum, P. Trifanum Golyam expetit. Is in oppido S. Thomæ tunc versabatur, ac Patrem Provincie Societatis præpositum rogavit, ut sibi Siamum profecturo aliquem è nostris comitem adjungeret. Provincialis occasione præclarâ amplificandâ religionem oblatam ratus, P. Balthazarem Sequeram specularem virum & prudentiâ virum deligit; mandatque ut exploratæ ecclia spes propagandi tanto in regno Evangelii ostendatur. Regiam in urbem Sequera pervenit, quo tempore mysteria Christi patientis religioso luctu ab Ecclesia celebrantur. Magnus illi paruit ad rem bene gerendam campus, propter ingentem ad percipiendâ sacramenta concursum Christianorum, qui variis è partibus in eam urbem convenerant. Gratulatus est, scriptis ad eum ornatissimis litteris, Malacæ antistes, ad cujus diocetem regnum illud spectabat, & amplissimam Apostolici muneris exercendi potestatem fecit. Nec tantum præsentem ac necessariam Sequera Christianis opem attulit, quos divini verbi cibo pavit; sed etiam ethnicis, quorum nonnullos vitali aqua Christo cœloque peperit, maxime parvulos, statim à baptismo meliorem in vitam transfusus. Manus etiam cum Talapoinis conferuit; quorum delicta pronis auribus, ut sacro digna silentio, populum miserabilis bibeat. Ingressus aliquando sanum celestem, & simulacrum vesanæ molis conspicuus, quævisit ab annofo sene, patruo regis & Talapoinorum coryphæo, ubinam Deum habitare crederet. In corde humano, respondit senior; hæc Deo digna domus. Rogare pergit Sequera, utrum ille, quem coleret, Deus hac eset mole corporis & forma, quæ in templo spectabatur. Ommino, inquit senex. Qui fieri autem potest, subiecit Patres, ut tanta moles in humano corde tantulo sit? Perturbatus interrogatio improvvisa Talapoinis spatium ad respondendum postulavit. Rex amore singulari Patrem complexus, non fides miserentem audivit, longoque aliter accepit ac fides consueverat popus: nec illum ante missum fecit, quam in ejus locum alius Societatis sacerdos subrogatus esset.

